# Bonvesin de la Riva

## De Magnalibus Mediolani

Tratto da : Bonvesin de la Riva, De magnalibus Mediolani, Bompiani, Milano 1974, Introduzione e note di Maria Corti, Traduzione di Giuseppe Pontiggia

Qui M(ediolani) magnalia nosse querit,
Hoc (libri) plani lumine certus erit.

Universis catolice fidey copulatis ad quos hec scripta pervenerint frater Bonvicinus de Rippa, civis Mediolani, salutem et pacem in Domino; ceteris vero gentibus ab errore ad viam rectam per Omnipotentis gratiam pervenire. Cum animadverterem non solum gentes extraneas, verum quoque compatriotas meos in cuiusdam ignorantie dormientes deserto, nescientes Mediolani magnalia, oppinioni eorum succurrendum et consulendum. fore exstimavi, ut vigilantes videant et videntes cognoscant qualis et quanti sit nostra civitas admiranda. Hoc igitur opuscullum anno a nativitate Domini nostri Yhesu Christi .MCCLXXXVIII., pontificatus autem venerabillis patris domini Ottonis Vicecomitis Mediolanensis Ecclesie archiepiscopi anno .XXVI., in regimine magnifici et potentis millitis domini Iaconi de Perusio honorabilis potestatis Mediolani et domini Matey de Vicecomitibus eiusdem terre populi capitanei, veritate rerum cum ingenti dilligentia et multo labore deliberate investigata, stimulo mediocri ad inteligendum legentibus habilli, nullius precum interventu, nullius inductione, nullius expectationis temporalis premii causa, sed potius inspiratione divina composui; eoque pacto ut, lecta et intelecta comendationis Mediolani veritate purissima, tria inde oportuna sequantur. Primum quidem, ut omnes huius civitatis amici omnesque carentes invidia, hec legentes et audientes magnalia, gratulabundi Deum glorificent; invidi autem convertantur aut propria contristantur et consumantur invidia. Secundum vero, ut omnes extranei Mediolanensium nobillitatem atque dignitatem scientes, eos ubique super omnes mortalles revereantur et honorent, dilligant et deffendant. Tercium quoque, ut mei concives in hoc speculło se (intuentes et) quante oriundi sint patrie (contemplantes, a) nobilitate nequaquam degenerent (nec) patriam suam dedecoroso regimi(ne commaculent) et diffament. Hic dicet aliquis: ca(ve, nam) quamplurima malla sub specie boni secuntur. Liber iste ad alicuius extranei tiranni manus fortuito veniet, qui, intelectis Mediolani magnalibus, in tantum inebriabitur eius amore, ut perspicaciter et dollose scrutetur qualiter ipsum dominationi proprie valeat subiugare. Respondeo: tanta est huius civitatis naturalis libertas et corporum sanctorum copiossa tutella, quod alicuius extranee tyrampnidis dominatio, sicut in nostris temporibus patuit, nisi civium asensu non permititur ocupata subsistere, ne igitur presumat aliquis tiramnus hic sedem suo preparare dominio; huius enim anguille caudam reperiet lubricam et cum crediderit eam cepisse, securum se credens, ex improviso reperiet se delusum.

Inter orbis terre provincias universalis fama Lombardiam, cum ratione sytus, cum locorum et habitatorum frequentia, cum decore ac fertillis planiciey decore late colaudat, preponit, decorat. Et decorat inter Lombardie vero civitates Mediolanum, velut rosa vel lilium inter flores, vellud cedrus in Libano, vellud inter quadrupedia leo et inter volucres aquila, et in hoc omnis lingua constanter exaltatur. Nec mirum quidem, quod omnes

civitates precellit. Consideretur enim tanti comitatus et sue diocesis tam situs quam habitationes et habitantium qualitas atque quantitas. Consideretur etiam fertilitas et oninium bonorum humanis usibus comunis ubertas. Consideretur eius fortitudo, constans fidelitas, laudanda libertas, **|*f. 1 v.*|** (copia) dignitatum; quod sit inter (ceteras civi)tates velut sol inter celestia (corpora) manifeste patebit; quod sit papali (sedi apti)ssima, salva Romanorum pace, manifeste (alibi) explicabo per scripta. Mirabillia sunt que dicere gestio, ut rey veritate seriatim specificata tam concivibus meis quam extraneis gentibus huius magne civitatis magnalia elucidius patefiant. Nec mirandum quia dixi concivibus; quoniam tanta et talia sunt, ut ipsiusque civitatis homines oriundi ad eius cognicionem plenariam vix valeant pervenire.

Ad faciliorem igitur dicendorum inventionem primo distinguemus huius opuschulli capitulla, que sunt octo.

Primum est de commendatione Mediolani et comitatus eius ratione sytus. Secundum, ratione habitationis. Tercium, ratione habitantium. Quartum, ratione fertilitatis et omnium bonorum confluentia. Quintum, racione fortitudinis. Sextum, racione constantis fidelitatis. Septimum, ratione libertatis. Octavum, ratione dignitatis.

# 1

# DISTINCTIONES PRIMI CAPITULI

I. In primo capitulo declaratur prima Mediolani interpretatio et quod fuerit aliud nomen eius et a quibus editum. II. Secundo, aeris temperies. III. Tertio, aquarum qualitates, numerus puteorum sive foncium que sunt tantum in civitate et pretium eorum.

### DE COMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE SYTUS

I. Ratione sytus considerata florentissima civitas nostra, quoniam in speciosa, preciosa fertilique planicie sita est, ubi aeris est temperies, a quo fluunt undique humano usui necessaria, inter duo flumina mirabillia equaliter inde distantia, (Tici)num et Abduam, cognoscitur gloriosa, no(n a)bs re asumpsit sibi nomen Mediolanum, quasi media lance inter amnes. Dicunt autem quidam, quod est mirandum, quoniam a sue ibi invento in medio tergo lanuto Mediolanum nomen accepit. Vocata quoque fuit antiquitus hec civitas Alba, quoniam candoris fulgore, plus aliis carens viciorum tinctura, pre ceteris recanderet. Que quidem primo a Gallis fuisse condita secundum *Istoriam Lombardam* naratur: unde huic regioni nomen dederunt Galliam cisalpinam.

II. Suntne ibi paludes aut lacus putride suis nebullis atque fetoribus aerem corrumpentes? non certe; imo limpidi fontes et fertillia flumina. Inter estum solarem et planam convallem quasi in meditulio syta sani aeris temperiem sibi vendicat. Ideo non est ibi frigus intolerabille hiemis tempore nec in estate fit nimia caumatis estuatio. Non est hec civitas litoribus maris vicina, ubi nimius (calor) est in estivo tempore ab hora nona diei usque circha mediam noctem; inde vero usque ad horam diei terciam cuiusdam aure marine frigidissime nocivus rigor sentitur.

III. Sunt in civitate non cisterne, non aquarum a longe conductus, imo aque vive naturalles humano usui potatu mirabiles, limpide, salubres, habilles, nullo ariditatis

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

tempore deffective, in tanta copia, ut in unaquaque fere domo decente sit fons, qui dicitur puteus, aque vive. Et sicut investigatione dilligenti, licet non in toto serio facta comprehendere potui, plures quam sex millibus vivorum foncium proculdubio prestant cotidie civibus aquam vivam. Inter quos quamplurimi sunt quorum aque videntur gustui quasi sapide tanteque subtilitatis, ut tam vasa lignea quam vitreas ampullas in quibus posite fuerint sine magni temporis distantia penetrant. Quibus qui potando se ad sufficientiam saciabunt, non eis nocebunt, sed potate subtilitate ac levitate sua statim per poros membrorum discurrent et mirifice digerentur. Sunt etiam in comitatu aque foncium limpidissime et in tantum alicubi frigidissime, unde |***f. 2 r.***| si in eis estivo tempore ponantur ampulle vino pregnantes, unde ibi vinum refrigeretur, virtute frigiditatis earum vitrea vasa frangantur, nisi brevi spatio temporis inde tollantur. Nulla sub celo civitas tanta tallium fontium copia cognositur nec creditur copiosa. Audeo quoque aperte clamare quod plus nostrarum valet aquarum copie preciositas quam aliarum quarundam vini simul et aque totalitas civitatum. Hoc etiam secure annuncio, quia sunt civitates quam multe, que tantummodo tres de fontibus nostris ducentis milibus marcharum argenti, si fieri posset, redimerent pro comuni. Fit in eius territorio bladi, vini, leguminum, fructuum, arborum, feni et aliorum bonorum copia, sicut patet. Est ergo ratione aeris, ratione aquarum, ratione fertilis atque pulcerrime planiciei, situ colocata mirabilli; cuius rey est fulgidum signum, quoniam quamplurimi senes grandevi et anus in etate ibi reperiuntur viventes decrepita, et etiam quia progeniei feconditas, populi frequentia, omnium bonorum prosperitas mirabilli modo quotidie per Dei gratiam perducitur in augumentum.

## 2

## DISTINCTIONES SECUNDI CAPITULI

In secundo capitulo continentur: I. Numerus hostiorum cum ianuis. II. Numerus tectorum comunium sive copertorum. III. Qualitas et quantitas curie comunis. IIII. Forma civitatis. V. Qualitas et quantitas fossati et de suburbiis. VI. De portis principalibus civitatis et de secundariis. VII. Qualitas et numerus ecclesiarum et altarium in civitate. VIII. Numerus ecclesiarum S. Marie tam intus quam extra. VIIII. Numerus campanilium et campanarum in civitate. X. Qualitas et quantitas burgorum et villarum et aliorum locorum. XI. Numerus burgorum et villarum exemptarum et etiam virorum. XII. Numerus ecclesiarum in comitatu Mediolani et quedam alia.

### DE COMENDATIONE
### (MEDIOLANI RATIONE HABITATIONIS)

Ratione habitationis tant[ ... ] veritas in conspectu videntium. Sunt (in ista) civitate vie satis late, satis (pulcra) pallatia, domus frequentes, (non disperse sed) continue, (decentes), decenter ornate.

I. Hostia cum ianuis, que ad vias comunes exitum habent, circha .XII. milia quingenta numero sunt inventa, in quorum numero sunt permulta in quibus quamplures familie cum familiarium cohabitant multitudine; per quod mirabillis civium frequentia denotatur.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

II. Tecta vicinis platearum earum comunia, que vulgo coperta vocantur, .LX. fere numeri culmen ascendunt.

III. Curia comunis tali tanteque urbi conveniens decem pertticharum vel id circha continetur spatio. Et unde hoc forte apud quosdam intelligatur facillius, ab oriente versus occasum centum triginta, a septentrione versus austrum est centum triginta sex cubitos mensurata. In eius medio mirabille constat palatium; turris quoque est in ipsa curia, in qua sunt quattuor comunis campane. In parte horientali est palatium, in quo sunt potestatis et iudicum mansiones, in cuius fine a parte septentrionali est potestatis capella in honore patroni nostri beati Ambrosii fabricata. Cui continuatur aliud a septentrione palatium; deinde ab occidente similiter, a meridie quoque est atrium, ubi condempnatorum sententie publice declarantur.

IIII**.** Civitas ista ipsa orbicularis est ad circulli modum, cuius mirabillis rotonditas perfectionis eius est signum.

V. Eius fossatum admirande pulcritudinis et latitudinis, non paludem, non stagnum putridum, sed aquam fontium vivam, pissibus et cancris fertilem, continens, ipsam civitatem circuit undique; quod murus mirabillis inter se (et) aggerem interiorem, **|*f. 2 v.*|** (continet, cuius) circuitus diligentissime mensuratus .XM.CXLI. cubitorum veraciter est inventus. (Fossatum autem in latitu)dine ipsemet .XXXVIII. cubitos (habet), quod quidem totam civitatem vero (circuit). Extra murum fossati tot sunt hospicia suburbana, quod uni sola ipsa sufficerent civitati.

Et nota quod cubitus, de quo fit presens locucio, duorum pedum in longum et totidem digitorum in latum hominis magne stature longitudinem, contingit. Perambulentur omnes mondi civitates; vix aliquis tanti tamque mirabilis pulcritudinis opus inveniet.

VI. Porte quoque civitatis principales fortissime sunt, que numerum complent senarium. Secundarie vero sunt decem, que vocantur pusterle, in quibus omnibus mirabilis muri mirabile cernitur undique fundamentum, principales quidem habent singule binas turres, quamlibet imperfectas, quarum quoque pedes fortissimi super fondamentum fortissimum sunt fondati.

VII. Sanctorum delubra talem et tantam urbem decentia circha cc. tantum in civitate sunt numero cum altaribus .CCCCLXXX. unde qui rei veritatem nosse desiderant, eant et beati Laurentii maioris ecclesiam; quam regina quedam, nomine Galla Patritia, cum .XVI. exterioribus columnis dicitur construisse; ceterasque tot et tantas et tales perspicaciter intus et extra mirentur, et videbunt magnalia Dei, que in alia civitate nunquam vel rarissime spectare valebunt. Et est mirabile notandum qualiter et quantum pro ista civitate virgo Maria teneatur;

VIII. Quoniam in civitate .XXXVI. ecclesie; in comitatu eius plures absque dubio .CCXL. sunt in ipsius tantum reverentia principaliter fabricate.

VIIII. Campanilia in civitate in modum turrium fabricata sunt circha .CXX.; campane plures .CC. in comitatu vero de confusso eorum et earum numero non fatio nec fatiam mentionem. Si quem postremo civitatis formam et eius palatiorum atque ceterarum domorum qualitatem et quantitatem videre delectat, super turrem curie comunis gratulanter ascendat; inde oculos circumquaque revolvens poterit miranda mirari.

X. Sunt in comitatu loca amena, voluptuaria, burgi quidem decentes numero .L.; inter quos est Modoecia, decimo miliario distans ab urbe, civitatis quam burgi nomine dignior nuncupari. Ville vero cum castris .CL. sunt nostri comunis iurisdictioni subiecte, inter quas quamplurime sunt, in quarum singulis plures quingentis viris in bello valentibus habitant.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

In quibus quidem tam burgis quam villis non solum degunt agricole vel opifices, verum quoque quamplurimi nobilitatis ingentis magnates, alie quoque sunt mansiones extraordinarie, quarum quedam molandina, quedam vulgo cassine vocantur, quarum vix possem perpendere numerum infinitum.

XI. Sunt preterea extra prescripti muri seriem alie ville vel castra cum burgis, quarum quedam diocesani tantum iurisdictioni vel ecclesie Mediolani tenentur; quedam vero ab omni cuiuslibet comunis iurisdicione sunt prorssus exempta; quedam quoque alio quocumque modo a numero predicto sunt extorte. In quarum numero sunt plebes de Porlezia per .LXII. villas digeste; Lania quoque per totidem vel id circha; Vallis Saxea .LIIII. continens .IX. sunt ville Leucho burgo supposite; .XXIII. quoque subiacentes Canobio; Vallis Sancti Martini .XXV. perstringens, Vallis Soldi ex undecim constans; Virgantum ex .XL.; due valles Bellegnii et Leventina sub nostra diocesi constitute ex .CC. villis vel id circha, preterea Tellium, Galliate, Trecate; Campelionum quoque, quod beati Ambrosii abbatie tantum supponitur. Que omnes terre, computatis omnibus burgis cum villis, circha .VI$^{C}$. perficiunt numerum; in quibus omnibus, ut firmiter cogito, plures ***|f. 3 r.|*** triginta milibus viris opportunis ad bella continuam faciunt mansionem. Sunt preterea et alie ville; sed sufficiant que sunt dicta.

XII. Sunt extra civitatem in diocesi sanctorum delubra decentia pluria duobus milibus quinquaginta cum pluribus duobus milibus sexcentis altaribus. Opere pretium est mirari tante civitatis et eius comitatus domos pulcras innumerabilles, ecclesias devotas, burgos, villas, municipia, molandina, cassinas, religionum domus, canonichas et cenobia; inter que cenobium de Caravalle occulis hominum prestat spectaculi mirabillis intuitum admirandum; preterea ortos, pomaria, prata, vineas, pascua, silvas, cernia, flumina, fontes vivas, herema. Comitatum nostrum non occupant vero aerem corrumpentes paludes, cum versus partem septentrionalem circha milliaria centum certissime descendatur. Si quis hec omnia perscrutans occulis suis dilligenter aspexerit perambulet totum orbem, non tamen similem delitiarum reperiet paradisum.

## 3

# DISTINCTIONES TERCII CAPITULI

In tercio capitullo continetur: I. Qualitas civium. II. Numerus virorum secularium civitatis et comitatus. III. Numerus canonicarum et curiarum regullarium. IIII. Numerus capellarum. V. Numerus cenobiorum. VI. Numerus hospitalium. VII. Numerus domorum. Humiliatorum. VIII. Numerus de ordine sancti Augustini. VIIII. Numerus domorum, paupertatis. X. Numerus fratrum cura suis famullis habitantium. XI. Numerus omnium exemptorum a secularibus. XII. Numerus buccarum. humanarum Mediolani et comitatus. XIII. Numerus parochiarum. civitatis. XIIII. Numerus omnium civitatem habitantium. XV. Numerus virorum in civitate. XVI. Numerus equitum. civitatis. XVII. Numerus legistarum. cum decretistis. XVIII. Numerus notariorum. XVIIII. Numerus servitorum. XX. Numerus tubicinum. XXI. Numerus medicorum qui dicuntur fisici. XXII. Numerus cirugicorum. XXIII. Numerus magistrorum gramatice. XXIIII. Numerus doctorum in cantu ambrosiano. XXV. Numerus doctorum literarum inicialium. XXVI. Numerus scriptorum. XXVII.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

Numerus furnorum. XXVIII. Numerus tabernariorum. XXVIIII. Numerus carnificum. XXX. Numerus pischatorum et lacuum et fluviorum. XXXI. Numerus hospittum. XXXII. Numerus fabrorum qui ferrant quadrupedia animalia. XXXIII, Numerus fabrorum qui fabricant sonacula. XXXIIII. De capitaneis et vavasoribus et aliis nobillibus et quot sunt qui venantur asturibus et falconibus. XXXV. Numerus urnarum lapidearum sive tumulorum.

## DE COMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE HABITANTIUM

Ratione babitantium considerata, pre cunctis mondi civitatibus videtur michi clarissima.

I. Sunt enim in ea cuiusdam sue stature utriusque sexus indigene, facie illares et satis benigni, non dolosi, minus extraneis gentibus exercentes maliciam; unde etiam extra ceteras gentes plus alliis dinoscuntur; decenter, ordinate, magnifice vivunt, honorificis vestibus potiuntur; ubicumque sint, sive domi sive alibi, satis in expendendo sunt liberi, honorabilles, honorifici, moribus et vita faceti. Sicut eorum idioma facilius alio loquitur in linguarum diversitate intelligiturque vice conversa, sic etiam inter omnes gentium ***|f. 3 v.|*** (facie sola) in omnibus dinoscuntur. Religiosi (pre) ceteris cuiusque sint patrie [ ... ] extra patriam suam probabilius [ ... ] non sunt aput omnes gentes pre ceteris (igitur excolendi?) Contradicet aliquis hic: cur moribus ita Mediolanum colaudas? Nonne patet aput ora eorum inter se livorum prodicio, discordia civillis et crudelis destructio? Ergo male dicis. Respondeo quod argumentatio illa non vallet sicut nec ista. Inter duodecim apostolos fuit contentio, fuit Iude prodicio, fuit quoque qui ter Christum negavit; igitur appostoli minime sunt laudandi? Contradicet rursus licet aliquis: cur, si est in eis quod predicas, non refrenat tantam maliciam bonitas? Respondeo: quoniam temporallis potentia sepius viciosis accedit, et filii tenebrarum sepe in suis iniquitatibus ferventius et cautius quam filii lucis in suis operibus operantur. Hec demitto vobis; prosequar quod intendo.

II. Tam in civitate quam in comitatu sive in eius districtu numerosi populi augumentatur cotidie numerus et extenditur bedificiis civitas.

Quidni ubi est gloriosum vivere popullum fecundare? Ideoque computatis civibus cum forensibus cuiusque generis reperiuntur in universo viri multo plures ducentis milibus numero, qui quidem singuli se singulos viros in bello valere putarent. In quorum numero nequiquam diversorum generum conputantur exempti; monaci, canonici et alii clerici et religiosi tam professi quam in domibus propriis cum suis degentes famullis. Quorum numerus omnium uni provintie, quecumque sit, videretur sufficere. Cuius rei declarande gratia ad quedam miranda, sed non veritate carentia, stillum diverto.

III. In civitate quidem sunt decem canonice, in quarum numero non est domus ubi est ecclesia catedralis. In eius vero comitatu septuaginta, extra quarum sunt numerum ordinis Humiliatorum canonice, que sunt septem, et curie regulares, que dant vigessimo primo numero complimentum.

IIII. Sunt deinde in civitate capelle nonagesimum quartum numerum adimplentes, quot vero sint extra civitatem numeret qui potest et plures inveniet septingentis. Que omnes fere tam canonice quam curie regullares atque capelle singulis beneficialibus tribuunt redditus competentes.

V. Sunt deinde in civitate sex monacorum cenobia; monacharum vero sunt octo, in comitatu vero, conputatis omnibus utriusque sexus cenobiis, saltim quinquaginta quatuor

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

esse noscuntur; quorum quidem pars magna tam personarum numero quam temporalium bonorum prosperitate satis feliciter prosperant.

VI. Sunt rursus in civitate cum suburbio, de quo semper intelligitur cum de civitate fit mentio, decem pro infirmis pauperibus hospitalia temporalibus bonis omnia fere convenienter dotata. Inter que caput est hospitalle de Brolio, possessionibus preciosis ditissimum, quod anno .MCXLV. a Guifredo de Buxero fuit inceptum; in quo, sicut testantur ipsius fratres atque decani, aliquando et specialiter in caristie diebus, cum numerati sunt, plures quingentis pauperibus infirmis in toris iacentibus et plures totidem non iacentibus inveniuntur, qui omnes ipsius hospitallis expensis cibum sumpserunt; preter quos etiam nichilominus plures trecentis quinquaginta pussillis ab originibus pennes singulas existentibus baiulas in huius cura contingunt. Omnes quidem infrascripti pauperes, exceptis leprosis, quibus deputatum est aliud hospitalle, ibi recipiuntur et tam lecto qua[m] victu benigniter atque copiose reficiuntur. Omnes etiam pauperes cirurgie cura egentes a tribus cirurgicis de speciali causa super hoc deputatis, a comuni salarium accipientibus, diligenter curantur. Nulius denique miseria ibidem indigentis repudium patitur nec repulsam. In comitatu vero sunt .XV. hospitalia vel id circha.

|***f. 4 r.***| VII. Sunt quoque secundi ordinis Humiliatorum domus utriusque sexus in civitate et comitatu ducentessimum vigesimum numerum adimplentes, in quibus personarum copiosus est numerus religiosam vitam ducentium cum propriis manibus laborando. Inter quas domus de Brayda principalis habetur. Eiusdem ordinis canonice, ut dictum est, septenario numero potiuntur.

VIII. Sunt preterea utriusque sexus alie domus de beati Augustini ordine archipontificis tantum protectioni vel aliquorum de ipsius commissariorum licentia subdite procul dubio sexaginta.

VIIII. Sunt quoque domus paupertatis in copia; et primo numerosus Predicatorum conventus, deinde Minorum, quorum, preter principallem conventum, .XIIII. sunt in comitatu nostro subdite mansiones; tertio Heremitanorum; quarto sante Marie de monte Carmello; dende quorundam aliorum, quorum omnium pluralitas ultra quadringentesimum numerum termino suo potitur. Qui omnes elimosinis nutriuntur.

X. Sunt quoque religiosarum paupertatis domus alique, inter quas nobilissime religiosse sancti Apollinaris de ordine beati Francischi honestate, santitate, nobilitate ac numero preferuntur. Quid dicam de diversorum ordinum fratribus, videlicet de sancte Marie militibus, de ordinis tercii Humiliatorum et ordinis penitentie fratribus cum propriis familiis habitantibus, qui sunt, computatis omnibus, tam intus quam extra, plures numero septingentis? De eorum ordinum mulierum numero copioso nichil ad presens. Quid dicam de reliquis in habitu religiosorum degentibus, quorum alii sunt domibus regularibus cum suis possessionibus redditi vel in conversorum habitu eis deservientes; alii vero singulis deservientes ecclesiis; alii heremitarum vel reclusorum cum suis conversis eisdem deservientibus vitam ducentes; alii alio quocunque modo a secularibus viris exempti? De quorum copioso numero [ ... ] memoratorum specialiter nich(il dicho).

XI. Hoc autem in generali se(cure affirmo, quod) tam intus quam extra, con(putatis) presbiteris et aliis clericis cuius(que ordinis) ferentibus habitum et a secularibus ([ ... ] exemptis, religios)orum plures decem milibus Ambrosiano pane fruuntur. Quorum meritis et intercessionibus credimus hanc Deus civitatem a multis periculis liberasse. De mulierum quidem in babitu religioso religiosam vitam ducentium numero mirabilli nichil dicho.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

XII. Per predicta igitur notari potest Mediolanensium bonitas naturallis. Quid de Mediolani et comitatus copioso cetere multitudinis numero dici potest? Silentium; qui potest capere capiat. Hoc michi tamen parcetur quod minime taceo; quoniam sicut a longe perpendo, multis hoc idem firmiter asserentibus, plures septingentis milibus humanarum utriusque sexus bucarum, computatis omnibus pusillis cum maioribus, Ambrosiane terre superficie vitam ducunt; qui de manu Dei, et est mirabile unde, Ambrosiana cotidie sussipiunt alimenta.

XIII. Quidni, si tot sunt in numero, cum solum in civitate suo plenissima populo sint proculdubio parochie .XXV., inter quas pro certo sunt quedam in quibus quidem singulis habitant familie plures quingentis; in quibusdam vero aliis abitant circha mille?

**XIIII.** Quot igitur bucche humane civitatem tantam inhabitant numeret qui potest. Quod si perfecte valebit efficere, circha ducenta millia, ut firmiter cogito, comulabit in numero, cum pro certo probatum sit et serio dilligenter investigatum, quod mille ducenti modii bladi solum in civitate singulis diebus, computatis temporibus, consumantur et ultra; cuius rei veritatem sic esse certificant qui solent bladi triti a molandinis tributa exigere.

***[f. 4 v.]*** XV. (Quot autem esse) posint in bello bellatores (qui no)sere cupit, noverit, quoniam (plures quadraginta) milibus, velut singulis et omnibus (conputatis), hanc urbem inhabitant, qui singuli (ensis vel) lancee vel alterius gladii (auxilio singulos pugnare) valerent contra hostes.

XVI. Quot equites in bello aptos facere posit hec civitas anuntio, quoniam in ipsa cum comitatu suo plures decem milibus de facilli possent ex precepto comunis equos militares tenere, et ut etiam predictorum per suas partes veritas enucleata quodammodo per aliam viam perspicacius elucescat, aliquos extra molys plicam nucleos enodabo.

XVII. Sunt enim in ipsa solummodo civitate utriusque iuris periti .CXX., quorum colegium numero simul et sapientia in toto mondo non creditur par habere. Hii omnes ad sententias dandas parati litigantium numos libenter accipiunt.

XVIII. Notarii sunt plures mille quingentis, inter quos quamplurimi sunt optimi contractuum dictatores.

XVIIII. Comunis nuntii, qui vulgo servitores dicuntur, proculdubio sunt sexcenti.

XX. Sex autem sunt comunis tubicines principalles, viri honorabilles et egregii, in sue tante civitatis honore non solum equos tenentes, at quoque more nobilium decentem vitam ducentes, diverso a ceteris mondi tubicinibus ac mirabilli modo tubantes. Ipse enim tubarum clamor terribilis, in bellorum tumultibus ultra pactum conveniens, cui non est alter a nobis auditus in toto mondo consimillis, huius civitatis altitudinem simul et fortitudinem significare cognoscitur.

XXI. Medici periti, qui fixici vulgo dicuntur, sunt .XXVIII.

XXII. Cirurgici vero diversarum manerierum plures .CL.; inter quos sunt quamplurimi naturaliter medici excelentes ab antecessoribus domus sue cirurgie notitiam antiquitus habitam protrahentes, qui in aliis Lombardie civitatibus non creduntur pares habere.

XXIII. Professores artis gramatice sunt octo, disipulorum copiam sub sua unusquisque ferulla protegentes et, preteritis aliarum civitatum doctoribus, ut manifeste perpendi, gramaticam cum ingenti labore atque diligentia ministrantes.

XXIIII. Quatuordecim sunt doctores in cantus Ambrosiani notitia excelentes, per quod notatur huius civitatis frequentia clericorum.

XXV. Inicialium vero literarum pedagogii plures quidem .LXX. sunt numero.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

XXVI. Librorum scriptores, licet non sit in civitate Studium generalle, quadragesimum superant numerum, qui digitis suis libros cotidie scribentes, panem et alias expensas lucrantur.

XXVII. Furni quidem sunt in civitate .CCC., sicut ex libris comunis habetur, usui civium panem coquentes. Alii quoque furni sunt quamplures exempti, monacis vel utriusque sexus religiosis deservientes; unde cogito plures centum.

XXVIII. Tabernarii autem gloriosum cuiusque maneriei rerum numerum minutim, vendentes sunt proculdubio plures mille.

XXVIIII. Carnifices vero plures .CCCCXL. sunt numero, in quorum macellis carnes optime cuiusque maneriey quadrupedum nostro usui convenientium affluenter venduntur.

XXX. Pischatores cuiusque maneriei pisium, tructarum, dentricum, capitonum, tencharum, timulorum, anguilarum, lampredarum, cancrorum, demum cuiusque reliqui generis tam grossorum quam minutorum copiam quasi cotidie a lacubus comitatus nostri, pluribus .XVIII.; et a fluminibus, pluribus .LX.; et ab infinitis quasi montium rivulis ad civitatem portantes, plures .CCCC. pro firmo se esse fatentur.

XXXI. Hospites extraneis gentibus pro lucro tribuentes hospicium circha .CL. sunt numero.

XXXII. Fabri, qui soleas ferreas animalibus quadrupedibus figunt, ***|f. 5 r.|*** circha .LXXX. sunt numero, per quod notatur equitum copia et equorum; qui sint sellarii, quot frenorum et calcarium et stampium fabri, hoc taceo.

XXXIII. Fabricantes aurichalco sonacula, que pectoribus apponuntur equorum dulcisona, que eciam nesimus alibi fieri, sunt plures triginta, quorum unusquisque sub se continet multos in arte sua coadiutores.

Si cuiusque maneriei opificum, textorum lane, lini, bombacis et serici, cerdonum, pellipariorum, sertorum, cuiusque generis fabrorum et sic de singulis; si mercatorum per partes orbis terrarum pro suis mercacionibus discurrentium, qui nundinarum sunt in reliquis civitatibus complementum; si institorum, si auctionariorum quoque vellem describere quantitatem discretam; credo quod hic legentes et audientes quasi mirando stuperent. Hec prescripta fore tantummodo in civitate noscuntur, que scripsisse sufficiat. Per ea enim satis comprenditur civium numerus copiosus et extranee gentis frequens ad hanc civitatem confluxus.

XXXIIII. De comitatu vero nostro quot cuiusque maneriei viros; quot primo ingentis nobilitatis, quot deinde diversarum artium doctores, medicos, mercatores, agricollas et cuiusque generis opifices capiat, nequaquam: concipiat in corde suo unusquisque qui potest. Unum tantum, etsi cetera omnia sileantur, annuntio, quoniam tam in civitate quam extra ingentis est nobilitatis quantitas numerosa virorum, quorum quidem pars magna valvasores dicuntur a valvis. Quoniam, cum Romanorum imperatores in Ambroxiano pritorio morarentur, hec erat eorum dignitas, quia erant imperatorie curie portenarii. Alii vero maioris nobilitatis capitanei nuncupantur a capite: fuerant enim plebium capita. Extra quorum omnium numerum sunt et alie quamplurime nobilles parentelle. Et ad maiorem veritatis corroborationem qui velit intelligat (inter nobilles) civitatis et comitatus plures (centum esse), qui singulli singullis asturibus (et falconibus) aucupandi ocupantur solatio. (Accipitrum) numerum nequeo reperire.

XXXV. Et est in huius capitulli fine notandum quod, sicut in vita, sic et in funere cives nostri sese honore magnificant et magnifice sepulturis traduntur. Cuius rey manifestum est signum, quoniam in civitate tantummodo, cum in ecclesiis cum in earum

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

cimiteriis, urne lapidee sunt plures .MM., quarum allie sunt marmoree, alie sunt de sillice vel ex alio lapidis genere fabricate; singule cum singulis eiusdem generis copertoriis ex singulis quidem saxis integris consistentes. Inter quas sunt alique pluribus viginti marcis argenti proculdubio comparate. Iam patent et sytus et habitationis atque habitatorum ratione tante civitatis magnalia. De ceteris ulterius prosequemur.

## 4.

## DISTINCTIONES QUARTI CAPITULI

In quarto capitulo continetur: I. Bladi et leguminum copia et quot paria bovum laborent nostra territoria. II. Copia fructuum arborum. III. Quot plaustra ceresorum contingit quandoque intrare civitatem et de aliis fructibus. IIII. Quot modis ordinantur castanee. V. De ortis et viridariis. VI. De pratis et quantitate feni. VII. De vineis et quantitate vini. VIII. Quot in nostris vineis fuerint simul utilia. VIIII. De silvis et nemoribus et quantitate lignorum, que tantum in civitate consumuntur anuatim. X. Quedam solatia. XI. De copia aliorum victualium et primo de copia carnium et quot boves mactantur in civitate. XII. Cancrorum quantitas qui comeduntur tantum, in civitate. XIII. Copia piscium; nomina lacuum et fluminum nostrorum; quantitas piscium. ***|f. 5 v.|*** XIIII. (Quot sint molandini et quis) numerus rotarum eorum. XV. (De aliis fluminibus) et fontibus. XVI. (De mirabili) fertilitate aquarum nostrarum. XVII. (De copia mirabili) aliarum rerum et quantitate salis et piperis. XVIII. De nundinis. XVIIII. De fecunditate humane progeniei. XX. De copia bonorum spirituallium. XXI. De beato Barnaba et Anatalone et Gayo et Ambrosio archiepiscopis Mediolani. XXII. De numero sequentium archiepiscoporum. XXIII. De fratribus predicatoribus et minoribus. XXIIII. Numerus corporum santorum.

### DE COMMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE FERTILITATIS ET OMNIUM BONORUM AFLUENTIE

Ratione fertilitatis territorii et omnium bonorum usibus humanis utilium confluentie considerata, iam patet, sed evidentius explicabo.

I. Fit etiam in nostri territoriis felici fetu fertilibus bladi multiformis, tritici, sichalis, milii, panici, unde derivatur paniccum, et cuiuslibet maneriei leguminum coctilium et optimorum comestu, fabarum, cicerum, faxeolorum, cicerculorum, lentium tanta tamque mirabillis copia, ut hec per diversa loca distributa non solum civitati Cumane suppleant victus deffectum, sed etiam reffocilationem translata distribuant popullis transalpinis. Quidni, cum sit non inrationabiliter examinatum a multis, quis diceret in hoc sese a cogitamine suo esse deceptum, cum pluribus triginta milibus parium bovum territoria nostra collantur? Fit etiam raparum copia et naporum, que divitibus et pauperibus non modicam prestant utilitatem in tempore iemalli. Fit quoque in agris nostris infinita et incredibillis copia lini.

II. In viridantibus pomariis, in ortis quoque, in campis et vineis persepe optimorum fructuum cuiuslibet fere generis arborum humano gustui boni saporis iocunditatem exibentium fit fertilitas.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

III. Fiunt enim ceresa acria et ceresa cuiusque generis dulcia tam dumestica quam campestria in tanta equidem copia, ut contingat aliquando plura sexaginta plaustris in una die intra portas civitatis adduci, que a medio maii usque fere ad medium iullii qualibet hora inveniuntur in civitate venalia. Pruna quoque, alba, subruffa, citrina, damascena similiter, quasi in copia infinita, que ante calendas iullii usque ad mensem octubrem distribuuntur matura.

Eodem tempore quo pruna incipiunt apparere aparent afluenter et pira et poma estiva et morona et ficus, que flores vocantur. Secuntur deinde avellane domestice; postmodum corna, mulieribus aptiora; iuiube quoque ac persicha mirabiliter afluentia; diversorum similiter generum ficus et uve; amigdalla etiam, licet pauca; avellane silvestres, nuces in copia incredibilli, quibus in universo anni circuitu fruuntur post omnia ferculla cives quoscumque hoc delectat. Admisentur etiam trite ovis et caseo atque piperi, unde carnes inde iemali tempore impleantur. Fit quoque ex eis oleum, quod penes nos afluenter expenditur. Fiunt rursus pira et poma iemalia et cotuna; que omnia per totam hiemem et ultra nostros cives reficiunt afluenter. Fiunt etiam mala granata egrotantibus plerumque utilia. Abondant multiplicis generis uve, que circha medium iullii apparent mature et usque ad kalendas decembris vel id circha reperiuntur venalles.

IIII. Fiunt quoque castanee populares atque nobilles, que marona dicuntur, in copia infinita in universo anni circuitu abondanter tam civibus quam forensibus distribute. He multiformiter ordinate nostras |***f. 6 r.***| familias refocilant abunde. Virides enim coquuntur in igne et post alios cibos loco dactilorum sumuntur et saporem iuxta meum iudicium reddunt dactilis meliorem. Elixantur frequenter sine testa et cum coclearibus manducantur a pluribus sic decocte; abiecta postmodum decoctionis aqua, sine pane, imo panis loco, frequentissime masticantur. Ordinantur quoque infirmis lento calore ad solem primitus desicate. Mespila quidem quamplurima in mense novembrys apparent aleatoribus exutis invisa. Olivarum bacce in nostro comitatu alicubi fiunt, licet plurimum non affluant, et lauri bace contra solum ventris dolorem cum calido vino sumende. Fiunt etiam aliorum generum fructus, de quibus ad presens predicta sufficiant. Hic non fiunt dactili nec piper nec quamplurime species transmarine; quod michi non displicet, cum necubi fiant, nisi ubi est hariditas et calor intensus.

V. Sunt etiam orti per anni circuitum vigentes, cuiuslibet maneriei olerum fetum copiose redentes; videlicet cuiuslibet generis caules, blitos, lactucas, atriplices, apium, spinachia, petroselinum, feniculum, anetum, cerfolium, anisium, nepitam, cuiusque generis cucurbitas ortulanas et sepes, alium, porra, pastinacas comunes, alfaneriam; que est genus pastinace de cuius radice fit optimum et sanum compositum; boraginem, sinapim, crochum, liqueritiam, herbam citrinam, portulacas, papaver, marubium, malvaviscum, anagalicum sive consolidam maiorem, enulam, rutam, draconteam, lacteridem sive esulam spinosam, que aliquantulum trita et cocta, in vino postmodum potata, contra dolorem ventris eficax dicitur medicina; ysopum quoque purgantem a pectore flegma, et alias multas herbas medicinales; salviam quoque, mentam, baxalicon, saturegiam, mayoranam et alias herbas odorem sapidum olfatui nostro prestantes. Preterea viridaria trifolio et herbis, flori(busque virentia), in quibus viole, rose et alia (florum genera videntium oculos recreant) et olfantium nares confortant; (inter omnia viola) primulo flore vernans; roxe quoque (diversorum generum), malva marina et oculi Christi et alii (flores variis) coloribus naturaliter picti humanis aspectibus alacritatem presentant. Fragum quoque in eis habondans (quod valde) est utile;

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

flores enim dat candidos, postmodum fructus rubeos porigit, humano gustui gratitudinem inferentes.

VI. Prata quidem fertilibus fluviis et fontium rivolis infinitis sunt aquata, bobus, equis, iumentis, ovibus aliisque peccoribus et peccudibus optimum fenum in infinita quasi copia ministrantia. Ad cuius rey evidentiam quoddam, licet mirandum, declaro: quoniam solum cenobium de Caravalle in propriis pratis plura tribus milibus plaustris feni anuatim recoligit, ut michi eiusdem domus monaci atestantur. Magis hoc autem videbitur mirandum; sed quia sic est rey veritas iuxta eorum iudicium, qui sic esse afirmant, dico secure: quoniam in comitatu Mediolani tot sunt prata, quod prestant nobis anuatim plura ducentis milibus plaustris feni. Quod hic: loquitur feno pascuntur boves, oves, capre, equi, mulli et asini, non homines nec canes. Quis igitur quadrupedum numerum capere poterit infinitum? Preterea non solo feno predicto pascuntur, sed sepissime per herbas et frondes ducuntur ad pascua. In stabulis etiam herba virente, culmo, rapis, avena et aliis multis refocilantur. Ideo ville quadrupedibus altilibus, etiam lacte, ovis, melle multisque bonis civitatis mensas diviciose gratificant et gratifice refocilant. Lane quoque plebeie copiam prestant; lana enim subtilis aliunde habetur.

VII. Vinee frequentes variorum generum tam dulcium quam acrium vina salubria, saporifera, clara, candidi, citrini, rosey aureique coloris in tanta copia profer ***|f. 6 v.*** **|** (unt, ut ab unaquaque) familiarum ex propriis vines (vindemie) tempore singulis colligant(ur annis plus quam mille vini currus; ab aliis plures .V^C^.; ab aliis plures .C. hoc etiam) videbitur forte mirandum quod dicam: (quoniam in comitatu) Mediolani plura sexcentis milibus plaustris vini singulis annis fertilibus, ut asserunt qui veritatem se fatentur perpendere ratione dilligenter examinata, sub circulis reponuntur. Non dubito quin sint civitates quamplures, in quarum territoriis vites omnes illud solum vinum, quo nostri musciones inebriantur, non vallent proferre nec etiam vinacia, a quibus nostrum vinum expressum est.

VIII. Et est notandum quod in nostris vineis quatuor umanis usibus necessaria simul fiunt in copia. Primum, quia super vites fit vinum; secundum, quia super arbores quibus vites apponuntur, singula singulis, diversorum fructus generum colliguntur; tertium, quoniam ex vitibus et arboribus anuatim putatis habentur ligna ignibus oportuna; quartum, quia sub vitibus et arboribus fit bladum vel aliquid humano victui dans utille supplimentum.

VIIII**.** Silve et nemora et iluviorum margines diversorum generum robora hedificiis et multis usibus apta, ligna etiam necessariis ignibus victum prebentia suficienter distribuunt in tanta equidem copia, ut tantum eorum que sunt igni tradenda plura centum quinquaginta milibus plaustrorum in civitate solummodo annuatim certissime conburantur.

X. Dicam quidem; pennes sit inteligentes mirabile dictum; quia oleum et etiam abusive dictum compositum in nostris agris alicubi super fabam creantur. Preterrea sub tripodibus et parabsidibus alicubi mappe nascuntur vel multiplicis generis fercula super ipsas mappas; afluenter nasitur oleum, cuius mediante auxilio mappe iemali tempore filantur in alabrum, ducuntur deinde in girgellum. Postmodum in glomisellum, ultimo te-xuntur. Et huius rey veritatem sic esse cognoscho, licet solatii gratia per amphibologie latebras videar evagari. Hoc autem scripsi, ut ceci minus videant, perspicaces intelligant perspicaciter inintentuentes.

XI. Afluunt ad civitatem, veluti ad omnium temporalium bonorum sentinam, panis et vinum et boni saporis cuiuslibet generis carnes quadrupedum. Et est notandum quod, sicut

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

cum quibusdam ex carnificibus diligenter examinavi, computatis diebus in quibus licet Christianis carnibus uti, circha septuaginta boves in civitate tantummodo mactantur quotidie. Quot autem sues, oves, arietes, agni, bedi et aliorum generum quadrupedes tam silvestres quam dumestici a carnificibus iugulentur, qui michi foliorum et berbarum numerum declaraverit, credo quod hoc ei declarare valebo. Afluunt et bipedum carnes optime silvestrum et domesticarum; caponum, galinarum, anserum, anatum, pavonum, columbarum, faxianorum, ornicum, turturum, fiscedularum, alaudarum, perdicum, coturnicum, merulorum et aliarum avium, que appetitus hominum refectioni conveniunt.

XII. Afluunt mel, cera, lac, iuncate, recocte, butirum, caseus, ova, cancri. Et nota mirabile; quoniam, sicut ipsi piscatores, veritate rey dilligenter examinata, manifeste fatentur, computatis omnibus diebus a carnisprivio usque ad sancti Martini festivitatem, plures septem cancrorum modiis in civitate tantummodo cottidie comeduntur. Et ne quis dubitet quid quantitatis inteligatur per modium, noverit quia modius mensura est octo sextarios aput nos continens et est unius viri ponderatio gravis.

XIII. Preterea cuiusque generis pisces, quos nobis pariunt in comitatu nostro infrascripte lacus et flumina; videlicet: lacus Mayor cum multis fluminibus derivatis ab ca; utraque lacus de Blandrono, lacus |***f.** 7 **r.***| de Bobiate, de Galiate, de Sartirana, de Caprizate, de Luano, de Canobio, de Monte Orfano, de Conserio, de Puciliano, de Mairaga; utraque lacus de Annono et lacus de Sancta Brigida, a quibus quidem singulis exeunt saltem singula flumina. Preterea lacus de Segreno, de Mandello, de Leucho: he omnes cuin suis fluminibus in nostro comitatu sunt site, a quibus apportantur pisces mensas quadragesimales nobis in civitate ditantes.

Fluminum vero infrascripta sunt nomina: Abdua, Lamber, Sparzola, Muzia, Andamen, Barona, Morgula, Coironus, Bevera, fluvius de Cantono, de Sartirana, de Sancto Muçio, de Lisigerolo, fosatum Mediolani, Tronus, Nero, Vitabia, Rostocanus, Olona, Olonella, Rifrigidus, Rifrigidetus, Misca, Lamber merdarius, fluvius Consillii mayoris, fluvius vallis de Megiano, Ticinus, Ticinelus, Arnus, Marongia, Strona, Oncia, fluvius de Tervedona, de Ganimella, fluvius de valle de Zemonio, fluvius vallis de Cuvio, fluvius de Fromedona, de Anascha, de Tresa, de Travalia, de valle Mercuriollo, de Valascha, de Lisca, de Biana, de Cunaxino. Item Senaqua, fluvius de Anza, dé Bencha, de Baraxio, de Scayrana; et preterea multa alia piscium et cancrorum copiam parientia.

Quantitatem piscium ab eis qui rei veritatem se sire pro certo testantur vere sum doctus; dicunt enim quod plures quatuor sumis piscium grossorum recentium, plures vero quatuor sextariis minutorum, conputatis omnibus diebus ferialibus cum solempnibus, ad civitatem nostram quotidie afferuntur. Et nota quod pro unius equi vel mulli pondere inteligitur una suma.

**XIIII.** Suprascripta equidem flumina non solum piscium, non solum feni copiam. prestant, sed cum suis molendinis, que plura nonagentis sunt numero cum suis rotis, que sunt (ultra tria millia, non solum) tot Ambroxianos [ ... ] (sed) etiam pluribus centum milibus [ ... ] ministrant. Et nota quod unaqueque (molendini) rota, computatis omnibus, tantum bladi in (unaquaque die) molere dicitur, uti ex pane inde confecto plures quadringentis hominibus largissime refici valeant. Perspicaciter igitur intueatur qui scire velit quot buccas Ambroxianas pane reficiat dominus noster Ihesus Christus. Credo firmiter quod sunt in Italia civitates quamplures in quibus ab utriusque sexus indiginis non tantum panis consumitur quantum ab Ambroxianorum tantummodo canibus devoratur. Et est hoc loco siendum, quoniam dicta molandina non ita sufficerent nixi quoniam castanearum,

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

panici et faxeolorum feconditas panis loco persepe quamplurimos refocilat. Quid dicam quoniam extra predictum mollandinorum numerum et corum rotarum sunt alia plurima, de quorum copioso numero comprehendere nequeo veritatem?

XV. Sunt, exceptis predictis, alia flumina multa et fertilles rivuli fontium infiniti, quorum nomina libet sub silentio preterire.

XVI. Et notet qui velit hoc loco mirabile dictum, quoniam si fiat in nostro territorio alicubi nova lacus, que contineat aquam novam, tanta est nostrarum aquarum et tere naturalis fertilitas, ut per se brevi spatio temporis pariat multos pisces.

Pises etiam salsi diversi generis huc: a longe feruntur in copia; huc lanarum, lini, scirici, bombacis et cuiusque preciosi generis pannorum; preterea sallis, piperis et aliarum speciarum transmarinarum et omnium bonorum, que corporibus humanis possint sufficientiam cum voluptate prestare, per mercatores a diversis locis deducitur copia; quorum omnium hec felicissima civitas, quasi per se mondus quidam a reliquo condivisus orbe dicenda, per ceteras civitates vicinas et **|*f. 7 v.*|** (remotas ab)undanter distribuit. Inter [ ... ] quantitate determinata declaro (quod, ut ab illis) qui sallis tributa pro comuni (exigere solent) diligenter examinatum est, ipsius quinquaginta quinque milia et octingenta triginta sextaria vel id circha annuatim intra portas civitatis ferruntur; cuius quantitatis dimedietas vel id circha, sicut comprehendi potest, in civitate remanens prestat civium victualibus condimentum. Quantum vero piper possit intra civitatem consumi, hoc sire nullatenus potui; sed dicitur et comuniter creditur quod non sint due simul civitates citra mare in quibus tantum piper quantum in hac sola iugiter expendatur.

XVII. Intra civitatem quater in anno generales nundine fiunt, videlicet: in die ordinationis beati Ambroxii; in festivitate beati Laurentii, in Asensione beate Matris Dei et in festo beati Bartolomei. Ad quas omnes innumerabilles fere mercatores variarum rerum et emptores mirabiliter confluunt. Preterea, in duobus uniuscuiusque diebus ebdomode, videlicet in diebus veneris et sabati, in diversis civitatis partibus fit forum comune; imo, quod plus est, cotidie etiam omnia fere hominibus necessaria non tantum in certis locis, imo per plateas abondanter feruntur et clamoribus declarantur venalia. In burgis quoque ac villis comitatus nostri fiunt nundine multe, que anuatim in certis celebrantur diebus. In pluribus vero eorum et earum fiunt singulis ebdomodis fera, ad que omnia mercatores et emptores abunde discurrunt. Ex predictis patet quod in civitate nostra illi qui habet suficientem pecuniam est optimum vivere, ubi omnia voluptati humane congruentia pre manibus esse noscuntur.

XVIII**.** Satis etiam patet quod hic, nisi sit nichili, potest quilibet homo, si sanus fuerit, expensas et honorem secundum statum suum lucrari. Et est hic notandum quod sicut hic bonorum temporalium, sic etiam progeniei feconditas prosperatur. Cum enim videret in diebus letitie virorum decentium tam nobilium quam gregariorum solantium turbas: frequentes puerorum quoque tumultuantes conventus, nunc hic nunc illuc incesabiliter discurentium, et matronarum ac virginum quasi ad modum filiarum regum decenter cuntium et redeuntium vel super ianuis existentium cetus decoros et decoras acies; quis unquam citra mare vel ultra tam miranda gentium spectaculla se diceret repperisse?

XVIIII. Pape! sicut bonorum temporalium, sic etiam spiritualium copiam huic terre Omnipotentis benignitas est largita.

XX. Quid dicam? A bono principio bonus processus bonusque finis in Domino. Verbi gratia, Barnabas apostolus huius terre fuit spiritualis medicine principium et bonorum spirituallium seminator, qui divina dispensatione Mediolanum tertiodecimo anno post

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

nostri Salvatoris passionem pervenit et factus civitatis episcopus primus primo ad fidem Christi cives convertit et in ipso episcopatu septem annis resedit. Postmodum beatum Anathalonem loco sui constituit archiepiscopum, quem ipse metropolitano sublimavit honore; cui postea beatus Gayus in archiepiscopatu successit; et sic deinceps de reliquis, inter quos patronus noster beatus Ambroxius, doctor summus Ecclesie, anno a nativitate domini nostri Ihesu Christi .CCCLV. divina providentia duodecimus Mediolanensis archipontifex factus fuit, qui ab Arrianorum perfidia civitatem tanquam pastor egregius viriliter expurgavit.

XXI. Post eum vero hucusque .LXXXXII. archiepiscopi, omnes fere mire bonitatis et sapientie, ut patet in eorum ***|f. 8 r.|*** *Cronicha*, per ordinem successerunt. Ecce igitur perfecunde divina providentia huic terre a principio hucusque providit.

XXII. Tunc temporis etiam fratrum predichatorum atque minorum, qui duo sunt principalia catolice fidei luminaria; reliquorum quoque nostre salutis viam quotidie predicantium, necessariam tribuit copiam, qui ab omni heresi civitatem diligenter expurgant, plantant, hedifichant in fide catolica populum, verbo et exemplo corroborant et de bono in melius devotionem constanter augumentant. Quid loquetur ulterius?

XXIII. Taceo corpora sanctorum, que cum in civitate cum. in comitatu, sicut se diligenter indagasse testatur presbiter Guifredus de Buxoro, venerabilis capellanus ecclesie de Rodello, sunt numero .LX.. Taceo quoque martires infinitos, qui sub Maximiano et aliis imperatoribus hic passi fuere; quorum omnium precibus intervenientibus atque meritis credendum est firmiter hanc civitatem a multis tirampnorum crudellium liberatam fuisse potentia; cuius rey multotiens in diebus nunc viventium claruit veritas manifesta.

## 5.

## DISTINCTIONES QUINTI CAPITULI

In quinto capitullo continetur: I. Quando et a quibus condita fuit civitas. II. De captione Mediolani et aliarum civitatum Ytalie a rege Atilla et quotiens fuit iam capta et destructa Papia. III. De captione Mediolani a rege Lamberto. IIII. De captione Mediolani a rege Alboin. V. De captione Mediolani ab imperatore Fedricho primo. VI. Quo anno ipse Fedrichus destrucxit Mediolanum et de amissione trium Magorum. VII. Exclamatio super Mediolani destructionem. VIII. Quo anno redivit populus in civitate et quo anno incepit vigere. VIIII. De abruptione ipsius Fedrici (primi inter Brossanum et Legnanum) et, de eius morte. X. De gestis Mediolanensium contra (Papienses). XI. De abruptione iam antea imperatoris (Corradi) qui fuit dictus Conan. XII. De bellis contra imperatorem Fedrichum secundum et eius fautores. XIII. De exercitu contra cum iuxta Campor(giagum) acto. XIIII. De deposicione eius. XV. De exercitu contra eum iuxta Ticinellum. XVI. De obsidione Parme ab ipso facta et qualiter et quo anno fuerit tunc abruptus et de morte eiusdem. XVII. De Uberto de la Cruce et de eius filia. XVIII. De Viviano. XVIIII. De spirituali fortitudine civium et de sapientia domini Guielmi de Pusterla. XX. De armis Mediolanensium. XXI. Numerus fabrorum loricarum. XXII. De diversitate picturarum in clipeis et vexillis. XXIII. De vipera Vicecomitum. XXIIII. De carrocero comunis Mediolani et hic que spectant ad ipsum. XXV. De tubicinibus.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

## DE COMMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE FORTITUDINIS

I. Ratione fortitudinis eius fiet manifesta probatio. A tempore siquidem quo fuit a Gallis hec civitas condita, videlicet anno ante nativitatem domini nostri Yhesu Christi quingentesimo secundo et anno ducentesimo post conditam urbem Romam, secundum quod legitur; ipsa sepissime discussa et debellata cum vi, cum dollo, cum fame ac spei deceptione, ab hostibus legitur aliquotiens capta fuisse multaque adversa sustinuisse, et contra super eos trimphales obtinuisse victorias eisque inmenso labore veriliter obstitisse.

**|*f. 8 v.*|** II. (Cum eni)m esset tanti, a pessimo (Atilla, Hunnorum rege) fuit capta, qui, cum (diu contra eam) bellasset, postmodum cum inumera (multitudine) anno a nativitate Domini .CCCCL. (eam destruxit). Subiugavit similiter et Papiam; que quidem, ut legitur, licet fingat se superstitem stetisse, anno etiam .CCCCLXXV. fuit a rege Odoacro ferro et igne destructa. Rursus anno .CCCCLXXVIIII. a Gotis; tertio a rege Alboin vi rursus capta; quarto a rege Karulo anno DCM.; quinto a[b] imperatore Henricho primo, qui eam combussit omnino, videlicet anno .MI.. Ipsa quidem sexies fuit destructa et cum vi capta, codem tempore idem rex pessimus Atilla Bergamum, Brisiam, Veronam, Vicentiam et omnes fere civitates Ytalie legitur ocupasse, qui postmodum per manus Iani regis Patavie describitur caput sibi amputasse et sic peccatis eius exigentibus diem extremum legitur conclusisse. Alias etiam legitur civitas nostra ter capta fuisse. Semel quidem non vi, sed sub spetie pacis decepta; deinde sine deffensione; postmodum vero necessitate victualium fatigata, etiam spe promissionis fraudata.

III. Primo igitur a Lamberto rege, Italie imperium usurpante, qui anno Domini .DLXX. cum tribus regibus multisque ducibus Tehotonicorum atque barbarorum inumerabili multitudine decem annis civitatem nequiterque obsedit. Demum considerans quod eam vi subiugare non poterat, cum civibus nostris dollosse iurata pace fictitia, hoc videlicet pacto, ut Mediolanenses eum permiterent cum exercitu suo civitatem inire et continuo exire; sub specie pacis civitatem cum exercitu suo inivit, et oblitus pacis, evaginatis gladiis contra cives, civitatis menia diruit. In hoc quidem Mediolanensium, licet deceptorum, fortitudo notatur et Lamberti regis falsitas infinita. Ideoque iusto Dei iudicio exicium vite, quo dignus erat, invenit. Dormiens a quodam filio Ilduini servi Dei nutu fuit bacullo velut canis mactatus, cuius carnem volucres comedere.

IIII. Intravit paulo post rex Alboin cum Longobardis et, nulis oppugnantibus, cum cives a rege Lamberto essent in nimia quantitate occissi, capta est ab eo iterum civitas nostra; qui et tunc temporis vi Papiam, ut dictum est, et etiam quam plurimas alias civitates invasit. Ipse quoque paulo post uxoris dolo gladio peremptus furori suo finem imposuit.

V. Tertio a scelerato imperatore Fedricho primo, Ecclesie Romane recalcitrante, qui, destructo Spolleto, postmodum agregato infinito exercitu septem annis Mediolanenses inquietavit.

VI. Denique iuxta civitatem castrametatus cum exercitu suo, in quo erant .XV$^{M}$. equitum vel id circha et pedites infiniti; erant enim cum eo fere omnes Lombardie civitates et Theotonici atque Tusi; rex quoque Boemitarum et alii quamplurimi duces, marchiones, comites, episcopi et abates et alie gentes quamplures; eam fere undique circuivit. Cui dum cives potuerunt acriter obstiterunt; sed seva fames, magnorum comes malorum, suffitiens per se bellatores bello indomitos intra arcium muros absque alia pugna domare, intra civitatis murum postulavit introitum. Cives igitur victualium coacti penuria, data spe civitatem

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

non destrui ab imperatore; quod quidem universi eius principes firmiter promitebant; anno .MCLXI., die primo marçii, sese et hanc civitatem Deo et imperatori dederunt. Qui murum civitatis altissimum et hedificia prorsus delevit, et quinque annis con tinuis angustiosis **|*f. 9 r.*|** oneribus humeros civium crudeliter honeravit; et, quod in deterius et maius opprobrium nobis cessit, trium Magorum corpora, que in civitatem nostram anno .CCCXIIII**.** beatus Eustorgius ab urbe Constantinopolitana miraculose transvesit, proch dolor! Coloniam, Alemanie civitatem, per eiusdem civitatis archiepiscopum detracta fuere. Cur dixi quod in deterius et maius opprobrium nobis cessit? Causam festinanter assigno: forma enim civitatis reparata in melius est; tantarum vero reliquiarum texaurus a nobis longe persistit.

VII. O Mediolanum, o civitas inclita, martirum sanctorum sanguine sacratissimo purpurata, que, velut leo, solita eras inter omnes Lombardie civitates in fortitudinis gloria bravium optinere, cur in tanto servitutis obprobrio iacuisti prostrata? Ubi nunc est murus altissimus atque solidissimus qui te circuibat? Ubi nunc tures mirabilles? Ubi solatia solita, ubi tropheorum et triumphorum iactantia? Tua nunc saltem depressa est radicitus arrogantia. Dic michi: an quoniam nimia exaltatione superbiens et ingrata tituli tui statum minime cognosebas a domino Yhesu Christo, vel aliquibus forte tuis peccatis exigentibus, ideo humiliata Dei iuditio cecidisti, vel non tuorum culpa defectuum? Si autem hac tua tanta passione tamque difficilli lapsu, quam contra Ecclesie rebelles fortiter pugnam tulisti, luisses, in tue pocius commendationis titullo de te fieret memoria infinita velut fortissime. Et ut tue nobilitatis vigor naturalis hoc modo clarius elucescat.

VIII. Verbi gratia, post annum quintum captionis tue a servitutis vinculo relassata, continuo tanquam de tua tanta strage fere nichil sentisses, quasi subito renovata reflorere cepisti [ ... ] vallere, festinare, cohor(tes et copias) militares parare. Post (modum vero) visa serenitate tranquilla press(ius visa es) preterita oblivisi, presentia vigillanter disponere, futura (sagaciter) providere. Sicut ensis artificiosus naturalli (vigore) fabricatus, cum a reflexione violenta remittitur, per se indistanter erigitur; sic etiam civitas nostra, ut eius fortassis virtus examinata lucidius patefieret, post cuspidis usque fere ad capulum curvaturam, remisso imperatoris timore, continuo reparata cuspidem natallis vigoris erexit. Anno enim sequente, videlicet .MCLXVIII., teras recuperavit amissas et suis eas mandatis parere iuramento coegit; vires novas reparando sese coroboravit; eiusdem quoque imperatoris sevitie deinceps acriter ostare incepit: Alesandriam, civitatem Ytalie, ab eo furiosse obsessam, deffendit constanter.

VIIII. Proinde anno .MCLXXVI., die sabati tertio ante kalendas iunias, idem imperator cum suo exercitu Mediolani comitatum furendo invasit, ut iterum civitatem deleret, et Cayrate sua primo tentoria fixit. Cum quo Mediolanenses inter Brossanum et Legnanum manu forti et brachio extenxo veriliter pugnaverunt ipsumque cum suo exercitu in fugam conversum, vulneratis, occissis captisque Teutonicorum atque aliorum quamplurimis, cum ingenti gratia mirabilliter abruperunt.

Preterea, sicut in nostris invenitur ystoriis, eidem quoque et eius fautoribus immenso labore atque ingenti gloria more virorum, pugnantes velut leones, ubique acriter obstiterunt. Ipse autem denique, anno videlicet .MCLXXXXII., cum esset in Armenia, in quodam parvo flumine iudicio Dei submersus **|*f. 9 v.*|** (diem) signavit extremum.

X. (De rebus omnibus a) Mediolanens(ibus) iam antea (gestis nunc) scribere longum esset; sed inter (quamplurima) quedam sub conpendio brevi perstringam.

(Anno Domini) .MCVIIII. Mediolanenses contra Papienses bellum fecere, quod hodie dicitur bellum de Campo, ubi Papienses fuerunt rupti et capti et cum eis una ipsorum

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

episcopus. Alias fuit enim bellum iusta Martinengum; pedites Papie, fere omnes a Mediolanensibus capti, fuere rursus ab eisdem deducti: necnon civitatem Tredonam per Fedrichum imperatorem delletam, Papiensibus invitis et eorum fautoribus pro sua potentia repugnantibus, anno .MCLIIII. recondidere. Postmodum capto Cerredano, paulo post in Papie suburbio eos confusos in magna quantitate in carceres vinctos duxerunt. Deinde anno immediate sequente castrum fortissimum de Viglevano, burgo mirabilli, obsiderunt ipsumque captum, Papiensibus viriliter expugnatis, cum triumphalli gloria subegerunt. Iam antea Laudenses in bello abruperant; iam antea Cumanorum civitatem destruxerant; iam antea, Cremonensibus in fugam conversis, quam multos ex eis captos in carceres reposuerant. In exercitu denique iusta Carchanum ipsumque imperatorem Ecclesie Romane rebellem, de quo supra memoravi, cum universo eius exercitu converterunt in fugam.

XI. Et notandum est quod etiam iampridem, videlicet tempore Heriberti nostre civitatis archiepiscopi, Corradus Conan imperator cum infinito exercitu, sicut in libro *De gestis Mediolanensium* legitur, tertio miliario ab urbe nostra fixit tentoria, deinde conbussit suburbia; demum ipse multa passus a Mediolanensibus detrimenta, tanquam fessus et victus turpiter afugavit Papiam. Inde vero Theotoniam tendens, paucis diebus egritudine gravi correptus, vite sue terminum subiit. Hec omnia, multa preterea alia in nostris leguntur perfeccius hystoriis gesta fuisse. A protopla[st]o hucusque, quo spatio iam sex milia quingenti et unus anni fluxerunt, de alia civitate in sytu planiciei syta, excepta Roma, si fuerit in tantis totidemque angustiarum fluctibus posita et totiens et a tot et a tantis hostibus debellata, nec legi nec audivi tam strenue quam hec civitas hostibus restitisse. Et quod ei quamplurimum prestat commendationis augumentum, contra Romanorum Ecclesie hostes a principio hedificationis sue hucusque quasi semper, quocienscunque cum extraneis fuit in bello, pugnatrix legitur extitisse. Ideoque in signum sotietatis Romanorum et nobillitatis et egregie fortitudinis, ut in primo libro *De Mediolani hedificatione* reperitur descriptum, antiquitus imperatores romani vexillum in medio laneum cum ipso Mediolani populo precedere faciebant.

XII. In viventium quoque memoria imperator Fedricus secundus, anno .MCCXVIII. a papa Honorio tertio coronatus, vir summe nequicie, a Deo postmodum disiuntus, copullatus errori, Ecclesie Dei hostis et noster, sed inimicorum Christi et Ecclesie amichus effectus, totum pressit affectum et effectus potentiam, ut civitatem nostram delleret. Fecit quod potuit, sed demum habuit quod decebat; quoniam desperatus a Deo, ab Ecclesia depositus et maledictus, abominabilli morbo, videlicet cancro, tactus, peccatis exigentibus vitam suani turpissime dicitur terminasse.

Cor meum voluntas pululata nunc incitat ut declarem quam strenue ipsi imperatori, de quo presto fit mentio, eiusque fauctoribus bec civitas immenso sudore obstiterit; |***f. 10*** *r.*| ubi et quando parva manu maximas bostium copias fortiter cum ingenti gloria superaverit; sed quoniam nimis lungum foret singula scribere, stilum moderate curtabo. De totius episcopatus Cremonensium et eius fautorum populatu et captione locorum, que anno .MCCXVII. a Mediolanensibus facta fuere; de bello postmodum Iuvenolte cum eisdern comisso, anno videlicet .MCCXXXIIII., qualiterque totius eorum episcopatus territoria Mediolanenses depopulati tunc fuerint; qualiter etiam anno .MCCXXXVIII. Pergamensium et Laudensium episcopatus utrosque prostraverint et Ioèa conbuserint et Laude antiquum preter ecclesias omnimodo destruxerint et alia plurima geserint, nichil ad presens ulterius. Hec autem dicere mallo, quoniam ipse Fedrichus secundus .anno MCCXXXVIIII. cum Tusis, Alemaniis, Appullis, Saracenis et cum multis Lombardie civitatibus comitatum nostrum

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

impetuose invassit et castrum de Merengiano destrucxit; deinde ad plebem de Locate castra transvesit.

XIII. Exercitus autem mediolanensis ad villam que dicitur Camporgiagum perexit oppositus, et ibi castra locavit a castris adversis vix una leuca distantia. Postmodum timens imperator cum civibus nostris comittere bellum, transferens castra quarto miliare, ad quasdam cassinas, ubi dicitur Scanaxium, tentoria fixit. Mediolanenses semper oppositi inter civitatem et hostilia castra ubi dicitur ad Fontigium pro patria veriliter defendenda castrametati, aqua fontium inniensa in imperatoris exercitum solerter impulsa, discurente per castra, eum inde cautissime depulerunt. Tunc rursus ad locum priorem unde discesserat transtulit castra, quibus nostra semper erant opposita. Et (nota quod) Ambroxianorum exercitus (exercitui) conparatus adverso minimus aparebat; (sciendum est) enim quod in averso plures erant solummodo (equites) quam in nostro equites et pedites omnibus computatis; (imperator) vero cum trigintaquator diebus in nostro comitatu (moratus) fuisset, denique Mediolanensium constantem fortitudinem et audatiam timens et maxime Fortium cohortem, qui omnes erant pedites electi fortissimi et in bello securi, quasi nichil timentes, omnibus armis muniti, qui neminem ex hostibus retinere iuraverant; frustra fatigatus et tristis abcessit. Mediolanenses vero exultantes ad proprias domos cum gaudio et leticia sunt reversi.

XIIII. Anno postmodum immediate sequenti multe fuerunt ab eis ville Cumanorum destructe. Intervallo rursus anni sequentis peracto, usque ad eorumdem portas populatum ferro et igne fecere; sed magis me incitat quod sequitur. Anno enim .MCCXLV. idem imperator Ecclesie hostis et noster in tempore pape Inocentii quarti ab Ecclesia maledictus et ab imperialis sedis iurisdictione depositus fuit. Deinceps ab Ecclesie fidelibus non imperator, sed depositus vocabatur.

XV. Qui postea eodem anno, colecto infinito exercitu, Mediolani comitatum rursus invasit et in ripa Ticinelli locavit exercitum; querens flumen transire, ut nostram deleret radicitus civitatem. Continuo Mediolanenses in oposito fluminis margine audaciter castra fixere et quocunque suum transiebat exercitum eidem semper erant opositi. Demum videns Fedricus nequiquam posse facere quod optabat, duos fecit exercitus: mayorem sibi retinuit; minorem vero, in quo erant omnes Cremonenses, Papienses, Pergamenses, cui prefectus fuit rex Ençius, eius filius ex concubina creatus, ad opositam partem comitatus nostri, videlicet ad |***f. 10 v.***| (Albini)anum, ut Abduam novam (transiret), transmisit. Contra (quem due) porte civitatis nostre, silicet porta (Cuman)a et Horientalis, cum villarum et burgorum de Martexana ruricollis iuxta illud fluvii sytum proficiscentes, castra sua hostibus opposita locaverunt. Ibique rex Ençius nichil facere posse considerans, nocte quadam cum omni suo equitatu per vadum de Cassiano Abduani veterem secreto transivit. Tunc rex Ençius cum magno exercitu Mediolanensium exercitum parva manu conpositum repente agressus, quamplurimos cepit. Ipse quoque rex a Simone de Locarno, qui nostro exercitui preerat, captus fuit et super campanille de Gorgonzola retractus. Demum dictus Simon cum ipso rege inter se invicem pepigerunt ut ipse rex dimitatur et omnes captivi de nostro exercitu relasentur. Et Ençius hoc pacto dimissus liber in exercitum suum conducitur, captivos relassari continuo precepit; at Cremonenses et universus exercitus eius hoc fieri minime permisserunt. Tunc Ençius cum suo exercitu inde secessit. Fedrichus autem, cum iam triginta diebus in exercitu moratus fuisset, videns non posse ad effectum ducere quod extuans intendebat, a suo cogitamine deceptus castra dimovit et tristis abcessit.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

XVI. Anno autem tertio sequenti Parmenses obsedit et totam suam potentiam in suo comulavit exercitu. Deinde in ipsis castris civitatem novam construcxit, quam nomine nuncupavit Victoriam. Civitatem vero Parmensium sexcenti ex Mediolanensibus equites et tercenti de civitate Placentia cum Gregorio de Montelongo Sedis Apostolice legato veriliter tuebantur. Tandem mediante Dei et Mediolanensium constanti sufragio, anno .MCCXLVIII. Fedricus in bello confusus afugavit; quam multi de suo exercitu occissi et quam multi capti fuere. Cremonensium currus, carrocerum vulgo vocatus, ab ipsis fuit Mediolanensibus in urbem Parmam aductus; civitas Victoria victa fuit et capta et Fedrici tesauro et bonis omnibus omnimodo spoliata; demum prorsus evulsa. Fedrichus turpiter superatus, amisis thesauris et aliis suis rebus, in Apulliam rediens gravi morbo contactus, anno .MCCL. absque sacramentis impenitens, desperatus, in anethematis vinculo, uti dictum est, vitam suam per mortis carnalis transitum, secundum quod habetur in *Cronica*, in mortem commutavit eternam.

De strenuis Mediolanensium gestis non omnia, sed quedam sub breviloquio tetegi. Si quis ea perfectius nosere desiderat, Ambrosianas querat historias.

Et ne quis me credat civitatis nostre dolosa stilli transicione passiones et vituperia tacuisse, audiat et inteligat quisquis velit quia multa legens et audiens que popullus Ambroxianus in bellorum temporibus gesit, licet adversa quamplurima toleraverit, nunquam legi nec audivi, si fuerit cum hostibus equo numero in bellis extraneis colluctatus, alicubi fugam fecisse nec alium populum super ipsum victoriam habuisse. Hoc autem confiteor me legisse quod multociens adversa multa sustinuit ab adversis; nec mirum. Que enim legitur civitas alia, tot et tantis ventis impulsa, que adversa multa non senserit? Roma quidem, cum esset iam popullo frequens, omnium bonorum prosperitate feconda, cum eius potentia multis iam regibus et populis esset formidolosa et per omnia fere mondi climata late famosa, multas tamen sepe legitur adversitates, fugas, captiones, vulnera, occisiones et alias dubias atque asperas res ab hostibus illatas toleravisse. De hoc themate dicta sufficiant. Dictum est |***f. 11 r.***| superius quam strenue contra hostes condam dimicavit hec civitas; nunc autem cum sit civibus, hedificiis et rebus necessariis aucta plus solito, qui reges, qui tirampni, quis populus eam possent suo dominio vi subiugare? Nulli quidem, nisi cives gladio in se ipsos converso se ipsos eviscerare congaudeant.

XVII. In hoc loco quoddam mirabille non pretereundum scilentio dicam. In memoria quorundam meorum utriusque sexus concivium adhuc in decrepita etate viventium vigebat quidam vir nobilissimus, nomine Ubertus de la Cruce, quem peperit nostra terra. Hic quidem tante fortitudinis fuit quante in toto mondo nec: tunc nec postea potuit vir aliquis reperiri. De cuius fortitudine quedam signa secundum veritatem breviter declarabo. Vir quidem erat clarus et potens origine, sed potentior fortitudine, cui aliarum civitatum atlete ratione fortitudinis comparati sic erant sicut puerulli virorum respectu. Hic enim sonipedes currentes suo detinebat amplexu et eos in medio cursu via sistere cogebat invitos. Hic molandinariorum iumenta satis ponderata farine vel bladi per scalarum gradus ascendendo super solaria simul portabat. Hic super unicum pedem nulli corpori adherendo, altero elevato, stans, velut columna firmissima, neminem reperiebat, ut dicitur, qui ab uno loco eum posset totis viribus suis movere. Hic iuxta manuum iuncturas singulis funibus utrumque separatim vinctus lacertum, sex viris a dextera et totidem a parte opposita cum totis viribus funes utrosque, fixis pedum vestigiis, extendentibus, nichilominus comedebat, nichilominus in os suum cibos utrisque manibus porigebat. Hic in quodam bello solus a Papiensium turba copiosa circumdatus, clava sua terribilli eos (fugavit. Hic admirabilis

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

erat) stature; si quis eum an(te mirabatur, plerumque) videbatur miranti quod retro pend(eret; si autem) post dorsum, videbatur ei quod ante p(enderet). Mirabillis erat comestor; nam quatuor vi(rorum fercula) assumebat; .XXXII. ova saltem in sartagine frixa, quibus vescebatur libenter cum multo pane, etiam uno pastu convenienter ei sufficiebant. Raro suas vires in hominum conspectu sine causa speciali pandebat; nunquam sub virium causa dicitur aliis iniuriatus fuisse; curiallis erat ubique. Hic anno .MCCXV. vigebat in corpore; hic ex concubina tante fortitudinis filiam genuit, ut vax magnum tres vini sextarios continens, cuius pondere curvaretur vir portans, elevaret a terra et sicut aliquis ex obba, sic inde potaret.

XVIII. Vivianus quoque mirabillis, de quo canuntur miranda, in nostro comitatu, videlicet iuxta Leuchum burgum mirabilem, natus fuit. Alii vero quam multi in diversis temporibus viri nullos sibi pares in mondo reperientes, dicitur Mediolani originem habuisse, de quibus nichil ulterius declarabo.

Quid dicam de spirituali nostrorum quondam concivium fortitudine; qui, quot et quales fuerunt pro fide Christi atlete, qui tam in civitate nostra quam in aliis pro fide pugnantes obtinuere victorias gloriosas? Vitallis miles, noster civis, Ravene, Sebastianus Rome fidem predicantes catolicani et ipsis urbibus martirii meruere coronam. Protaxius et Gervaxius, filii ipsius Vitalis, Mediolani fidem docentes pro Christo sunt passi. Maurilius episcopus fidem Andegavie predicavit; Simplitianus, archiepiscopus noster, in urbe Roma cum suis predicationibus Ecclesiam Romanam quam multis heresibus dispersam ad unitatem fidei revocavit et quamplurimos ad fidem convertit. Gayus quoque, **|f. 11 v.|** (mactatus) fustibus, ab hac urbe (exul factus est). Castricianus in castris fidei (miles et tyro) peritissimus multos ad fidem convertit. (Beatus quoque) Calimerus predicando et ad fidem convertendo (infideles, exo)culatus pro fide, plagis percussus, exilio damnatus, versis pedibus in puteum missus, fuit quoque martirio coronatus. Beatus Maternus a Tredonensium civitate ydolatras depellens, in ea lumen fidei predicavit multaque adversa pro fide sustinuit. Beatus Dionixius, archiepiscopus Mediolani, pro fide in exilio relegatus, in artissimo carcere positus, demum fuit pro Christo martirio consecratus. Beatus quoque Ambroxius, de quatuor doctoribus Ecclesie unus, quam multos errantes ad viam veritatis reduxit, beatum Augustinum ad fidem convertit, civitatem nostram ab Arrianorum tabe purgavit. Beatus quoque Senator fidem Christi in Orientis partibus predicavit. Quidam sanctus Ambroxius centurio, noster civis, cum .XIIII. militibus Florentina pro Christo passus fuit in urbe. Beata Sophia, buius urbis oriunda, cum tribus filiabus virginibus predicatrices fuerunt mirabilles in urbe Romana, pro quarum exercitio plures sedecim milibus utriusque sexus hominum ad fidem conversi fuere. Supradicti atlete nostri cives fuere aliique quamplurimi, de quorum fortitudine singulatim tractare fortassis in tedium verteretur.

XVIIII. Hoc vero tamen ex incidenti pretereundum non puto, quoniam nostra civitas non solum viros in excelenti fortitudine strenuos peperit, imo in sapientia naturali excelenter eruditos, inter quos quam, multos de uno breviter aliquid memoro. Fuit enim nobilissimus milles noster concivis Guielmus de Pusterla, quem multi hodie viventes in carne viderunt, qui, cum sine litteris esset, tam litteratorum quam illitteratorum sapientia naturalli quemquam transibat; omnia fere que ab homine illitterato videri possunt et ipse viderat. Ultra in partibus nostris tunc temporis non credebatur aliquis in sapientia ei par esse. Ideoque cum esset Bononiensium potestas apud legum peritos, virum illitteratum videntes in tanta sapientia constitutum, vocabatur antonomastice sapiens laycorum. Sicut

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

de ipso, sic etiam de multis tam litteratis quam illitteratis multa, si vellem stillum producere, miranda narrarem.

XX. Viso de strenuis actibus civitatis in bello, nunc de ipsis armorum exornatione ac preparamentis, que in bellorum expedicionibus congruunt, videamus. Ubi enim reperietur alterius populus civitatis in mondo ferreis armis tam decenter armatus? Nunquam profecto vel raro. Non enim equitum solummodo, sed etiam peditum videres in bello decentes catervas in acie corruscantibus armis, loricis, thoracibus, lameriis, galcis, galeriis, ferreiis cerebralibus, collariis, cirotecis, tibialibus, femoralibus et genualibus, ferreiis lanceis, palis, ensibus, pugionibus, clavis, clipeis decentissime corruscantes; videres equitum acies a pedum plantis usque ad vertices armorum fulgore nitentes et sonipedum tumultus faleris opertos, non solum generis nobilitate, sed morum atque armorum strenuitate quales et tantam et talem civitatem decent ceteros precelentium. Nec mirum quidem si nostri concives, viri honorabilles, pre ceteris gentibus curialitatis et largitatis gratia bravium obtinentes, in decoris armis et militaribus equis in militie tempore delectantur et pre ceteris gentibus exornantur. Naturalis enim strenuitas ubi est, ibi se in tempore suo ostentat. Preterea in nostra civitate et eius comitatu f[lo]s est fabrorum et copia, qui cuiusque maneriei cotidie fabricant armaturas, quas quidem per alias civitates ***|f. 12 r.|*** propinquas et etiam longinquas in mirabilli copia distribuunt mercatores.

XXI. Loricarum enim fabri principales ultra centesimum numerum terminum petunt; quorum quidem singuli subiectos quamplures continent operarios macularum artificio mirabilli cotidie insistentes. Sunt quoquequam multi scutarii et demum cuiusque generis armorum fabricatores, de quorum numero nequaquam facio mentionem.

XXII. Secundum sex portas civitatis principalles variantur sex modis pincture in clipeis et similiter in vexilis tincture. In porta Horientalli sunt clipei albi cum leonibus nigro colore depinctis. In porta Nova sunt albo nigroque collore quadrati; superius quidem in parte sinistra et inferius a dextra fuscati, in reliquis duabus partibus dealbati. In porta Cumana sunt albo et rubeo tabulati collore. In porta Vercellina sunt clipei rubeo superius, albo inferius dimidiati collore. In porta Ticinensi sunt omnimodo candidi. In porta Romana sunt toti rubei. Continenter eorum collorum et varietatum singulle porte singulis pociuntur vexilis. Preter que vexillia, cum statutum est exercitum fieri, eisdem totidem, sed candida cum rubicundis crucibus designata, describuntur singula singulis a comuni.

XXIII. Offertur quoque ab ipso alicui de nobilissimo Vicecomitum genere, qui dignior videatur, vexillium quoddam cum vipera indico figurata collore quendam Sarracenum rubeum transgluciente; quod quidem vexillium prefertur; nec alicubi unquam castrametatur noster exercitus, nisi prius visa fuerit vipera super arborem aliquam locata consistere. Hanc autem dignitatem propter excelentem cuiusdam Ottonis Vicecomitis, viri strenuissime indolis, probitatem et victoriam, quam contra Saracenos ultra mare in bello exercuit, dicitur (illis de sua) nobilissima parentella (concessum).

XXIIII. Quando fit universalis exercitus, currus publice oculis humanis mirandum spectaculum prestans, qui vulgo carrocerum dicitur, scarlato circumquaque opertus et decenter ornatus; a tribus mire magnitudinis et fortitudinis bovum paribus pannis candidis cum rosea cruce signatis decenter amictorum, producitur. Super ipsum in medio erecta est mire celsitudinis et rectitudinis arbor pulcerima, quatuor virorum pondere ponderosa, in cuius vertice crux est erea mirabiliter deaurata. Super ipsam quidem arborem tremullum dependet admirande magnitudinis et candoris cum rosea cruce vexillum quatuor ipsius marginum extremitates decentissime terminante. Hec arbor a virorum frequentia cum

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

funibus undique tenetur erecta. Carroçeri vero magistro, viro satis honorabilli, in cuius est domo specialis hec dignitas, quocienscumque ipsum contra hostes extra civitatem ducitur, fit tallis provisio: a nostra enim republica lorica et ense magnifice remuneratur continuo. Postmodum singulis diebus, quibus in exercitu manserit, octo solidos de nostra moneta recipit ab eadem. Capelanus quoque ab eadem remunerandus elligitur, ut iuxta currum quottidie divinum celebretur ab eo ministerium.

XXV. Sex comunis tubicines decentis condicionis, a comuni nostro magnifice honorati singuli quandoque quatuor equis vel tribus vel saltem duobus, potestatem nostre civitatis rectorem sequuntur; qui non solum tubicinum et preconum, sed totidem equitum strenuorum, cum necesse fuerit, in sui comunis honore diligenter officia exequuntur. Istis quidem specialiter duo solent in exercitu asignari tentoria et a republica solet eisdem honorabillis atque |*f. 12 v.*| (decens provisio fieri). De nostre civitatis admirande (fortitudine quedam) descripsi. Nunc pretereo, ne (perseverando in) eodem themate lectio vertatur in (tedium). Nunc ad declarandum constantem nostre (civitatis) fidelitatem non fictam stillum diverto.

## 6.

# DISTINCTIONES SEXT1 CAPITULI

In sexto capitulo continetur: I. De passionibus et laboribus pro Ecclesia. II. De amissione trium Magorum.

### DE COMMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE CONSTANTIS FIDELITATIS

I. Ubi legitur aut dicitur tam constantis fidelitatis Ecclesie Romane civitas altera unquam fuisse? Nonne huius rei causa nostra civitas tanquam unguis carni sic Romane unita Ecclesie, contra cuius hostes constans fuit obstaculum, ictus angustiossos persepe recepit, famem, sitim, frigus, cauma, labores, excubias, vulnera, mortes, fletus, lacrimas ploratus, abruptiones, captiones, carceres, cruciatus, expensas, inopiam, fugam, conbustiones, populatus, locorum ruinas et sui ipsius excidium? Nunquam tamen quid fieri potuit, propter quod fieret omnino confessa, martir vero multociens. Cum fere unaqueque Lombardie civitas, ut in tempore imperatoris Fedrici primi apertius patuit, aliquando Ecclesiam destituerit, hec solla eam constanti fide semper substinuit et defendit.

Nunquam quoque legi nec audivi hanc aliquando Romane urbi fuisse rebellem, sed sotiam fidelissimam et quantumcumque potuit adiutricem. Ideo secunda Roma vocata fuit antiquitus; unde super portam Romanam Mediolani aliquando scripserunt hos quinque versus:

Dic, homo qui transis, dum porte limina tangis:
Roma secunda, valle, regni decus imperialle;
Urbs veneranda nimis, plenissima rebus opimis,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

In bello Thebas, in sensu vincis Athenas.

Est igitur vera et constanti fidelitate nostra civitas excelentissima comendanda.

II. Cui ab ipso quidem Fedricho primo non nisi fidelitatis causa fuerant dirupta menia, proh pudor, prob dolor! Ob eandem causam trium Magorum corpora per beatum Eustorgium anno .CCCXIV. ad civitatem nostram aducta, per hostes Ecclesie fuere raptim abducta. Et hec fuit nostri laboris plenissima merces, ut contra Ecclesie rebelles pugnando fideliter tanti tesauri absentiam patiamur. Ve civibus huius terre, qui talli et tanto spoliati tesauro, sese potius invicem delere laborant, quam viam rimari per quani suum abdicare vituperium valeant et tanti spolium tesauri per ecclesiastici iuris rigorem cum ingenti gloria reparare! Sed si michi liceret contra dominos meos huius civitatis pastores os ponere, iam pocius dicerem: ve huius terre metropolitanis, quorum negligentia nundum sunt per Ecclesie gladium restitute reliquie, que non culpa civium, sed in Ecelesie defensione pro immensa fidelitatis constantia, sunt amisse! A tempore enim quo primo fuit hec civitas condita, videlicet ante Salvatoris nostri nativitatem anno quingentessimo quarto et post conditam urbem Romam ducentessimo sicut legitur ipsa nunquam fuit, iuxta meum iudicium, tanto titullo denudata.

# 7.

# DISTINCTIONES SEPTIMI CAPITULI

In septimo capitulo continetur: I. Quod tirampni non possunt hic locum habere. II. De libertate metropolitani.

### DE COMMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE LIBERTATIS

Qualiter autem ratione libertatis hec sit civitas commendanda, non est multum necesse ad hoc declarandum sermonem protendere, patet enim vulgariter, |***f. 13 r.***| quoniam postquam Ecclesia Dei viguit, nulius nisi solius Ecclesie Dei servituti, cui servire est liberum esse, gratuito valuit subiugari.

I. Multi enim tiranni iam extranei hic tirannidi sue sedem sunt ocupare conati, sed divina bonitas eis resistens, cum beate Marie genitricis domini nostri Yhesu Christi, in cuius purissime virginis honore precipuo fabricata est nostre civitatis cathedralis ecclesia cum aliis in nostro territorio tam intus quam extra in eiusdem nomine pluribus ducentis octuaginta; cum beati Ambroxii nostri patroni et aliorum sanctorum, quorum hic sexaginta corpora requiescunt; cum relligiosorum et religiosarum in maxima quantitate civitatem et eius comitatum incolentium interventu continuo; a tirampnica sepissime rabie civitatem deffendit.

IL Metropolitanus etiam civitatis nostre, cum sit omnium archiepiscoporum primicerius, exemptus est, nec patriarche nec alicui primati suppositus. Unde legitur in Decretis quod Mediolani pontifex et Aquilegie patriarcha condam poterant sese alterutrum consecrare.

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

# 8.

# DISTINCTIONES OCTAVI CAPITULI

In octavo capitulo continetur dignitas Mediolani: I. Ratione sedis imperatorum. II. Ratione coronationis corum in hac civitate. III. Ratione representacionis eorum ad archiepiscopum nostrum. IIII. Ratione exemptionis archiepiscopi nostri. V. Ratione officii ecclesiastici et de Karulo qui voluit delere officium Ambroxianum et de carnisprivio. VI. Ratione penitentie. VII. Ratione antiquitatis metropolitane sedis et officii Ambroxiani et quot episcopi fuerunt sub nostro metropolitano et quod nunc sunt; hic notabille de numero archiepiscoporum Mediolani. VIII. Ratione nostrorum (civium, clericorum et) secularium magnis dignitatibus po(sitorum). VIIII. In quot bonis Mediolanum superat omnes civ(itates). X. De duobus deffectibus civitatis. XI. Quod Mediolanum naturaliter gloriosum est. XII. Interpretatio huius dictionis Mediolanum. XIII. Operis huius commendationes. XIIII. Excusatio auctoris. XV. Exclamatio super Mediolanum et reprehensio potentium civium.

## DE COMMENDATIONE MEDIOLANI RATIONE DIGNITATIS

Ratione dignitatis est hec civitas admodum gloriosa, quod multis rationibus per viam veritatis declarare conabor.

I. Primo quidem quia hic, tamquam in secunda Roma, sepe fuit imperatoria sedes, videlicet Nerve, Traiani, Adriani, Maximiani, aliorum quoque Gentilium, qui prius quam vigeret Ecclesia Christianos persequebantur. Hi quidem, sicut legitur, magnifice nostram civitatem auxerunt. Multi postmodum successerunt imperatores catolici, Ecclesia iam vigente, videlicet Phillipus, Costantius tercius, Constans, Constantinus, qui dictus est Gallus, Iovinianus, Vallens, Vallentinianus, Gratianus, ultimo Teodosius; qui sepius in hac civitate sedentes residentiam faciebant.

Il. Secundo, quoniam imperatores romani Mediolani in reges Italie coronantur. Unde, sicut legitur in quodam libro, qui *Copia Arnulfi* vocatur, Conradus tercius ab Anselmo de Pusterla, Mediolanensi archiepiscopo, in ecclesia Sancti Michaelis in burgo Modoecia, in qua est primus locus corone regni Italie, benedictus et unctus fuit in corona ferrea coronatus rex Italie. Postmodum quoque fuit Mediolani in ecclesia beati Ambroxii coronatus.

Tercio quia Mediolanensis archiepiscopi precipua dignitas est, si presens fuerit, ***|f. 13 v.|*** (sancto Petro et eius) vicario ad imperium (promovendum regem) representare et eum in processionibus ex parte sustentare sinistra. Unde legitur in libro Benzonis, qui fuit Albensis episcopus, quod ex una parte apostolicus, ex altera vero Ambroxianus archipontifex in processione regem sustentant.

III. Huius autem dignitatis officium, cum Curradus secundus per Heribertum Mediolanensem archiepiscopum coronatus in appostolorum basilica foret appostolica consecratione ad culmen sublimandus imperii, Ravennas archiepiscopus, nomine similiter Heribertus, usurpare presumpsit, regis temerario ausu manum invadens ac tenens. Quod quidem facinus in omnium presullum conspectu vehementer displicuit. Orta igitur ob hanc

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

rem sedicione non modica, tunc ipse rex causam tumultus interrogans et rei veritatem cognoscens, confestim gradum consendens sic est contionando locutus: “Certum quidem est, reverendi patres, quia sicut privilegium est Appostolice Sedis consecratio imperialis, ita et Ambroxiane sedis privilegium est electio regalis et etiam consecratio. Unde ratum videtur, ut manus que benedicit et regi coronam prius imponit, si presens affuerit, sancto Petro et eius vicario regem, representet ad imperium promovendum; quatinus Ambroxiano testimonio iure valleat imperare, quoniam Ambroxiana consecratione didicit et cepit regnare". Hiis dictis archiepiscopus Ravennas, qui primam sedem in nuptiis temerarie occupando ellegerat, a domini convivii motus, ut ibi alter dignior locaretur, erubuit. Post dies aliquot indicta est auctoritate appostolica sinodus, in qua quidem constitutum fuit ut in omnibus negotiis pontificalibus Ravennas archiepiscopus nullo modo in eternum se Mediolanensi preferrat archiepiscopo; quod quidem si forte presumpserit, canonice legi subiaceat. Unde in Decretis distinctione .XVII. etiam legitur: "Hoc quoque notandum est, quod hoc in concilio et in alia sinodo Simachi pape ante Ravenatem episcopum Mediolanensem episcopum subscripsisse et respondisse legitur. Ex quo et sedis prerogativam ante eum habere colligitur" ut enim Gregorius Siagrio episcopo Augustodiensi ait: "Episcopos secundum ordinationis sue tempus sive ad conscedendum in concilio sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus et suorum sibi prerogativam ordinum vendicare". Quidni? Nonne beatus Bernabas appostolus, primus nostre civitatis pontifex, hic sedem ellegit, cui omnes archiepiscopi nostri per ordinem successerunt; Ravene vero beatus Apolinaris, non appostolus, ymo tantum appostolorum disipulus? Nonne hic primum quam in aliis Ytallie civitatibus fondata fuit Ecclesia christiana? Nonne hic est Ambroxianum officium a beato Ambroxio, urbis oriundo Romane, originem cont[rah]ens, a totius mondi officio condivisum? Nonne civitas nostra urbis Rome sotia semper extitit fidelissima? Nonne pro Ecclesia Romana sustinuit pressuras innumerabilles, sanguinem suum pro ea sepissime fondens? Maiorem dillectionem nemo habet quam ut quis pro suis amicis ponat animam suam. Amplius dicam: in quo conferri potest Mediolano Ravena? Qui michi totam Ravenam cum diocesi dare voluerit, posito quod hoc fieri posit, non dabo pro ea tantummodo aeris Mediolani temperiem et vivorum foncium copiam preciossam.

**IIII.** Quid dicam denique de nostre metropolis metropolitani nobilissima dignitate, qui inter ceteros mondi pontifices post summurn pontificem tanquam omnium archiepiscoporum dignissimus primicerius et exemptus, non alicui patriarche nec alio primati suppositus, romanos reges Mediolani coronat et per manum desteram beato Petro et eius vicario representat, |***f. 14 r.***| ut dixi; qui quotiens papa sinodum facit, sedit a dextera eius parte?

V. Hie quasi alter papa officii Ambroxiani est caput, a totius mondi officio condivisi. Quod quidem divino miraculo Ecclesie Mediolani beati Ambroxii patroni nostri beneficio nobis concesum cognositur et comendabilliter stabilitum. Legitur enim quod Karulus Imperator, Pipini regis Françie filius et Karuli magni genitor, ad Lombardorum dedecus, Adriano tunc papa consentiente, officium Ambroxianum radicitus delere voluit. Qui cum esset Mediolani, omnes Ambrosiano libros titullo sigillatos, quos vel pretio vel dono vel vi aquirere potuit, vel igne consumpsit vel secum ultra montes portavit. Demum resistente miraculose Dei clementia, stabilitum est a curia romana ut liceat Ambrosiane sedi misterium divinum a beato Ambrosio devotissime ordinatum perpetuo celebrare. Et est manifestum quod, sicut quodam nostro ecclesiasticho gaudemus officio, sic etiam facimus

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

carnisprivium ab extranearum gentium carnisprivio condivisum. Et in hoc etiam hostenditur Mediolanensium dignitas et gloria specialis.

VI. Patet quoque hic alia ratione nostre civitatis dignitas pretiosa; quoniam ab antiquis patribus hucusque est solempniçatum ut Mediolanensibus de suis peccatis liceat in sua diocesi penitentiam facere; quod quidem inauditum est alibi posse fieri, nisi falor.

VII. Hoc etiam dignitatem nostram vehementer adauget, quoniam civitas ista Romam ceterasque Italie civitates etiam metropolitana dignitate atque in divinis officiis et Ecclesie sacramentis temporis ratione precessit. Nam beatus Barnabas appostolus anno quarto priusquam beatus Petrus appostolus in urbe Roma sedem locaret, (factus est huius) civitatis episcopus, anno videlicet tertiodecimo (post dominicam) passionem, qui in episcopatu suo septem annis hic sedit. Post Barnabam reliqui santissimi (fuerunt) episcopi, quibus ipse omnes Lombardie supposuit (episcopos), eos metropolitano sublimans honore. Fuerunt enim antiquitus quam multi sub nostro metropolitano episcopi; sed postmodum, factis alibi novis metropolitanis, in tantum subtracti fuerunt, quod tempore Iordanis archiepiscopi Mediolanensis tantum in decimo octavo numero remansere. Postmodum rursus quatuor subtractis, hodierno die quatuordecim tantum archipontifici nostro episcopi suffraganei sunt subiecti. Et est hoc loco notandum quod post Barnabam apostolum hucusque nonaginta unus archiepiscopi in civitate nostra sedere, quorum triginta unus in sanctorum confessorum numero sunt descripti. In quorum quidem numero fuit beatus Ambrosius, duodecimus archipontifex, de quatuor doctoribus Ecclesie principalibus unus, ceteros in omni sapientia et virtute precellens, cuius etiam gratia nostre civitatis honor et dignitas adaugetur. Hic fuit, uti dictum est, qui, Deo inspirante, Ambrosianum conpillavit officium, quod annis viginti duobus fuit ante inventionem Romani officii conpillatum.

VIII. Patet quoque hac alia ratione Mediolanensium dignitatis nobillitas. Tres enim fuerunt de nostris concivibus Ecclesie Romane summi pontifices: videlicet Alexander secundus de capitaneis de Badagio, Celestinus de Casteliono et Urbanus tercius de Crivelis. Duo etiam fuerunt Romanorum imperatores, Valerianus et Galienus. Fuit quoque magister P[etr]us de Buxero in Ungaria Ecclesie Romane legatus. Fuerunt et hii cardinales: Petrus mediolanensis, Galdinus de Salla, Ubertus de Pirovano, |***f. 14 v.***| (Zonfredus de) Casteliono, Comes de Caxate, Petrus (Grossus), cuius vitam scientie ac virtutis prosperitate hic Deus adaugeat et post vite transitionem eius animam sublimet ad sidera. Fuerunt preterea quam multi extranearum civitatu pontifices advocati, de quibus nichil ulterius est dicendum. Vivit quoque vir nobillissimus nostre civitatis oriundus, Raymondus de la Turre, Aquilegie patriarcha. Quid dicam de secularibus nostris civibus nobilissimis quot ad diversarum civitatum regnum advocantur? Quidni? Sicut enim sunt nobilles ortu, sic quoque pars mayor eorum nobilitatis fructus ubique hostendunt. Quid esset si, cessante invidia, sese diligerent invicem et sue consulerent patrie bona fide? Credo firmiter quod eorum regimini tota Lombardia de facili subiaceret. Iam vidistis tot et tanta talis et tante urbis magnalia, que de bono prospicit in melius et proficiet, nisi dentibus invidie sua sponte se ipsam discerpat.

VIIII. Hoc loco notandum est quod sex sunt specialia, quibus Mediolanum specialiter omneni civitatem, precellit, uti michi videtur. Primo, ratione copie bonarum aquarum. Secundo, ratione copie atque honestatis religiosorum. Tertio, ratione frequentie sapientum iuris peritorum colegii. Quarto, ratione divini officii specialis ab omni aliarum civitatum Christianorum officio ecclesiastico separati et etiam carnisprivii. Quinto, ratione dignitatis

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

archiepiscopatus. Sexto, ratione fidelitatis excelentis, quam constanter, sicut per eius gestorum descriptionem perpendi potest, Ecclesie observavit.

X. Duo sunt in ipsa civitate, si michi dicere liceat, speciales deffectus: videlicet civilis concordie et portus, quo ad ipsam valeret marinum perduci navigium; quorum utroque si foret supplimento potita, inde mirabillis utilitas et glorie sequeretur prosperitas. Ad quorum primum spero quod orationes iustorum valebunt; secundus vero supleri valeret, si huius terre potentes ad hoc opus complendum sic suas exercerent potentias, velut in destruendo se invicem et a suis concivibus ut in suis fulciantur maliciis peccunias extorquendo.

Patet per iam dicta quod civitas nostra in mondo, conputatis omnibus, parem non habet; patet quod sit quasi alter mondus ab altero condivisus; patet quod non tantum secunda Roma vocari meretur, ymo, si michi liceret quod fari liberet, ut non imputaretur michi presumptioni; meo quasi dignum et iustum videretur iudicio sedem papalem et reliquas dignitates ad eam totaliter huc transferri.

XI. Naturaliter siquidem et per se nostra est civitas nobilitatis gratia predotata, sunt enim quedam civitates, que per se in multa claritate non essent; sed extranearum gentium frequentia, studiorum vel alterius rei alectacione in ipsis hospitantium, quibus abstractis claritatis earum remissio fieret, prestat eis valoris augumentum et glorie; sicut Parisius et Bononia et cetere civitates in quibus liberalium artium fit studium generalle. Et hoc non improbo, ymo aprobo, dum tantummodo earum mulieres nichilominus pudice permaneant et earum viri delusi pro filiis legiptimis non nutriant filios alienos. Hoc autem multo fortius aprobo, quoniam civitas ipsa non per extraneorum hospitum frequentiam, sed potius per se naturaliter prosperatur in gloria. Et quod est nostre laudis augumentum, tanta est eius naturalis nobilitas, ut ipsius vigor multis extraneis civitatibus prestet fomentum, sicus Cumanis et etiam transalpinis. Hic enim quam plurima bona multiplicantur, que cottidie in copia disperguntur.

|***f. 15 r.***| XII. Ex ipsius ergo interpretatione vocabuli cognositur civitas nostra. Incipit enim. MEDIOLANUM ab M et in eandem litteram disinit. In ipsius medio due sunt litere, silicet O et L. Per m primum et ultimum, quod ceteris elementis est lacius, significatur Mediolani glorie latitudo dilatate per orbem terrarum. In principio et in fine per M quoque inteligitur milesimus numerus, ultra quem non est simplicis numeri simplex vocabulum; et sic perfectum simplicitatis dat intelligi numerum, per quod quidem significatur quod Mediolanum a principio usque ad seculi finem connumeratum est et connumerabitur in perfectarum numero civitatum. Per O, quod est una litera de duabus in meditulio dictionis, cuius est forma rotonda et perfecta, ceteris dignior atque pulcrior, dat inteligi eius rotonditas et pulcritudo et dignitas et perfectio. Est enim civitas nostra rotonda ad literam et pulcra et super alias civitates perfectior. Per L vero significatur eius nobilitatis et glorie longitudo et etiam altitudo, quoniam usque in finem beate Marie virginis et beati Ambroxii et aliorum sanctorum, quorum hic corpora requiescunt, et sanctorum religiosorum precibus et meritis perseverabit eius alta nobilitas et gloria, Deo dante.

XIII. Preterea, hoc est etiam valde notandum, quoniam in ipsa dictione sunt omnes quinque vocalles, que singulle in singulis sillabis locum possident; per quod notatur quod, sicut ipsum nostre civitatis vocabullum nullius est defectivum vocalis, ita et ipsa civitas nulius est prosperitatis defectiva realis, que pro quinque sit humanis necessaria sensibus. Et sicut ceterarum civitatum vocabulla quinario sunt defectiva vocalium numero, sic et ipse Mediolano collate sunt in rerum. prosperitate alicubi defective. Cum igitur sit tallis et tanta

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

civitas nostra, ut patuit, videtur michi quedam (iniuncta necessitas, ut) cum aliquis, veritate servata, Mediolani (civem se dicere possit, tanta patria glorietur). Hoc tamen pacto, ne silicet a naturali degeneret stipite. Secus enim non sui (tantum, sed patrie) sue pro laude vituperium pandere videretur. (Cuiusvis familie) enim vel patrie ingens nobilitas, a morum nobilium probitate degenerans, omni est ignobilitate depressior.

XIIII. Omnia que sunt superius in nostre civitatis commendatione descripta; ne forte me sompniasse videar vel cerebrosa levitate virgatum fuisse vel dolosse, ut hominibus placeam, laudes transcumullasse fictitias, cum oculis videntium satis manifesta videntur; cum ab *Ystoria Lombarda* vel ab aliis libris elicui, cum ex rei veritate, a me vel ab aliis eam cognosentibus, cum multo labore diligentius indagavi. Multa quidem alia de Mediolani magnalibus potuissem describere; sed, fessus labore, circha alia occupatus negocia, requiem postullo. Suffitiant que sunt dicta. Si quid hic autem videatur fortassis non in omnibus iuxta cuiusquam iudicium rationabiliter ordinatum et alicui defectivum, veniam postullo, quoniam quorundam impulsio importuna hoc opus ante tempus plene correctionis pandere me coegit.

XV. O Mediolanum, quod etiam iusta nostrum vulgare recte vocareris Miranum a miror, quis te mirandum de mirabilli miserabille fieri cogit, quis te lanutum lanis laniatum lugere? Quis te, Mediolanum, de medio tulli medulitus gratulatur? In domo tua nutritur qui te dentibus invidis dilacerare mollitur; de tua inquietate gratulantur civitates afines fortassis; ne, si dudum in pace vigeres, tributarie tibi fierent m[e]tuentes. Te enim sic egrotante, tentantes ut eis pocius tributarium fias, tibi minari atque recalcittare nequaquam verentur ***|f. 15 v.|*** (nec) formidant, sed parvipendunt et de tua egrotatione ac vituperio chachinantur. O mirabille mondi decus, o civitas multiformibus gratiis repleta, o veneranda civitas, quam multorum martirum sacratissimo sanguine consecrata, qui sunt qui te inquietare presumunt, nisi quorundam tuorum civium importunitas, quos totius orbis terrarum non posset saciare prosperitas? Que potest esse in eis tante presumptionis ocasio? Dicamne quod sit invidia suos possessores corrodens et ad omne selus irritans et stimulans, vel tacebo? Silentium; quoniam plerumque non nocet tacuisse. Hoc tamen dicam: quod quorundam huius terre invidorum nec Deum nec se ipsos cognosentium fuit quondam et nunc est iniqua proprietas, videlicet astucias et totam potentiam contra suos exercere concives et pocius adherendo extraneis inter se gladiis iniquis inquietari, ut suis in sue civitatis opprobrio tirampnico more dominentur concivibus, quam inter se reveriri pacifice, ut in sue civitatis augumento super omnes Lombardos dominium adipiscantur et gloriam triumphallem. Et cum possent reliquis Lombardie civitatibus dominari, adnitendo suos delere cives, ut se ipsos magnificent, suorum comparium impatientes, civitatis sue magnificentiam dentibus caninis eviserant, conpelentes eam quasi in servitutem et oprobrium redigi. Dicere liceat, condigni non essent Mediolanensium tergere subtelares. Ve sceleratissimis civibus, tantam et tallem civitatem suo potenti livori delere crasantibus et Luciferi vestigia imitantibus! Ve aliis, qui ad imitationem sceleratorum spirituum qui Luciferi fautores fuerunt, omni parti huius terre favendo, impios magnates ad civitatis ruinam stimulant et irritant! Ve religiosis viris adherentibus parti operam suam dolose prestantibus! Ve quoque religiosis inobedientibus et eis ascentientibus, qui suis confratribus dominari tentantes, ubi inter ipsos morbum reperiant, postquam per se disipare non possunt, more Iude Schariotis, ad potentes recurrunt! Ve illis qui blanditoribus falsis aures libenter aperiunt, faties benignitatis ostendunt et placidum dant responsum! Hi enim sunt homines

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

divisionis auctores vel stimuli, qui una cum falsis angelis et ipsi demones effecti, nisi prius convertantur ad Dominum, pena consimilli punientur.

Rogemus ergo salvatorem nostrum dominum nostrum Ihesum Christum, uti ipse tante civitatis magnalia de bono in melius augumentare dignetur, ipsius cives recte ambulantes in via recta conservet et retificet devios, amicos nostros, extraneos et omnes de nostrae civitatis letantes magnalibus benedicat et invidos atque inimicos convertat et ad caritatis virtutem perducat, qui cum Patre et Fillio et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita seculla secullorum. Amen.

Deo gratias amen.

Si GER ponatur, tunc UA sotiatur, XIUS iungatur, de Coyris iste nominatur.

## NOTA AL TESTO

Il testo latino è riprodotto dall'edizione di Angelo Paredi (cfr. Nota bibliografica), il quale ha ricollazionato il codice madrileno, scoperto nel 1894 da Francesco Novati, che ne fece quattro anni dopo la prima edizione (cfr. ancora la Nota bibl.), e inoltre l'ha corretto in base ai brani del *De magnalibus* riprodotti da Enrico di Herford nel suo *Chronicon*. I puntini di sospensione, già usati nelle edizioni Novati e Paredi, indicano lacune e corruzioni insanabili del codice madrileno; nella nostra edizione sono stati posti fra parentesi quadre. Le parentesi tonde, pure risalenti alle due precedenti edizioni, indicano integrazioni operate su testimoni indiretti.

Le parentesi quadre, oltre che per delimitare le lacune, sono state utilizzate per qualche nostro intervento congetturale:

cap. V, dist. XI: *protopla[st]o su protoplaustro*

cap. V, dist. XX: *f[lo]s su foys* (cfr. il sintagma latino *copia et flos)*

cap. VIII, dist. VIII: *P[etr]us su Puteus* (è Pietro da Bussero)

cap. VIII, dist. XV: *m[e]tuentes su mutuentes*

Ancora parentesi quadre per qualche correzione di refuso dell'ed. Paredi, dove l'ed. Novati ha la forma corretta; per es., *qua[m]* su *qua* in cap. III, dist. VI; *a[b]* su *ad* in cap. V, dist. II.

Si è lasciata, come nelle precedenti edizioni, la non corrispondenza fra i numeri delle distinzioni nel sommario del cap. IV e nel corso del capitolo stesso, dovuta al salto del n. XVII.

Si sono conservate tutte le oscillazioni grafiche e fonetiche del pessimo copista, anche se ovviamente abbassano il livello del testo latino rispetto all'ipotizzabile originale.

Quando concordemente nelle due edizioni una distinzione termina con un segno di interpunzione che non sia un punto (e ciò per ragioni sintattiche), si è conservato l'uso (cfr. cap. III, dist. XII).

Le note in calce alla traduzione hanno per unico scopo di rispondere a dubbi del lettore non specialista e sollecitarlo nella lettura; se lo studioso vi troverà qualche dato nuovo, esso vi è stato inserito ai fini già chiariti. Non é infatti negli intenti di questa collana un commento integrale ai testi.

Esistono due traduzioni del *De magnalibus* precedenti a quella qui offerta; la prima ad opera di Ettore Verga in *Fra Bonvesino dalla Riva, Le meraviglie di Milano,* Milano, Cogliati, 1921 (cfr. ristampa anastatica presso ed. Forni, Bologna, 1974). La seconda ad

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi

opera del Paredi nell'edizione citata. La presente traduzione di Giuseppe Pontiggia, oltre ad essere rigorosa e fedele, ove possibile, ai canoni retorici applicati nell'originale (allitterazioni, chiasmi ecc.), tende a renderne in chiave di sensibilità contemporanea l'andamento linguistico discorsivo e colloquiale; donde la libertà nella resa paratattica di alcune frasi relative dell'originale e nella semplificazione sintattica di qualche contesto particolarmente ipotattico.

© Biblioteca dei Classici Italiani
by Giuseppe Bonghi

© 2002 - Biblioteca dei Classici Italiani by Giuseppe Bonghi